Ita est veritas prophetarum & consilia Providentiæ, quæ ex gravissimis malis bonum elicere novit.

consolationem, & eas ad nos eruditendos perquam utiles esse. Divinitus illas inspiraſti Prophetis tuis, qui te unum respiciebant cum loquebantur. Poſſumus quidem Religionis ſpiritu admirari prophetiarum complementum in SS. Innocentium martyrio. Hoc ipſe multis ante ſæculis prædixeras: *Vox in Rama audita eſt; Rachel plorans filios, & noluit conſolari, quia non ſunt.* Crudelis iſte Tyrannus Herodes immodicæ ambitioni ſuæ ſatisfacere cupiens, executus eſt ea vaticinia laniena cruentiſima. Ita, Domine, ſecundum æterna adorabilis providentiæ tuæ conſilia educere noſti ex malo bonum, & ex teterrimis noſtrarum cupiditatium flagitiis gloriam tuam percipere, utens jugi impiorum voluntate in malo, ut maxima quævis conſilia tua exequaris, ut adimpleas veritates quæ in ſacris bibliis continentur, & ut magis, magiſque nos confirmes in veritate earum promiſſionum, quas omnibus hominibus facere dignatus es. *Sermo Manuſcriptus.*

Hypocrisis ſollicitudinum, & ſuſpicionum hominis ambitioſi in perſona Herodis.

Quid non mortalia pectora cogit dominandi cupiditas? Herodes crudelis ille tyrannus non horruit omnium ſcelerum audaciſſimum perpetrare, conatus vitam eripere Salvatori Mundi totius, ut ſine competitore gauderet regno, quod illi offerre debebat. Animadverti poteſt, quomodo ſpiritus ambitioſus inquietus eſt, timidus, ſuſpicax, contremiſcit cum nulla adeſt timoris cauſa; credit, omnes homines ſibi eſſe iratos, omnes ſibi eripere velle dignitatem ſuam, & aliquam ſemper in ipſum fieri conjurationem. Id genus chimæricæ inaneſque ſuſpiciones Herodem turbant, neſcientem Dominum noſtrum in terras dilapſum eſſe, non ut hominibus temporalia eriperet regna, ſed ut illis æternum regnum prometeretur. Sed poſthæc quonam dolore affectus fuit Filius Dei, cum ex Ægypto quo confugerat, vidit horribilem innocentium cædem, qui per illius occaſionem jugulabantur? Credendum eſt, eodem ferro, quod illorum corpora cædebantur, cor illius fuiſſe tranſverberatum acri miſerationis ſenſu, & illum tot in anima ſua pertuliſſe martyria, quot tyrannus inferebat innocuis his victimis in membris corpuſculorum eorum. *P. a Ponte in Meditationibus ſuis.*

Alia hypocrisis Herodis ab ambitione ſua vexati, & mox conſcientiæ ſuæ ſtimulis diſlaniati.

Antequam crudele hoc facinus perpetraret Herodes, qui illum vidiſſet, ſane vidiſſet hominem furenti ambitione ſua divexatum, terrore correptum, furentem, turbatum, agitatumque. Audit in ditione ſua Regem natum eſſe, ſtellam in Cælo apparuiſſe, prophetiam eſſe adimpletam, regnumque ſuum finem habiturum. Ecce ſpiritum proſus agitarum, qui neſcit, quo ſe vertat, quid conſilii capiat. Tyrannus eſt, qui ſe ipſum torquet: ambitio, & crudelitas ejus ſunt illi carnifices, qui illum per omnes artes deducunt, neque illi aliquam requiem permittunt, ſed indefinenter illum dilaniant. Sin autem Herodem cogitamus facinus hoc perpetrantem, nunquam vidimus hominem hoc magis agitatum, qui ut ſuæ ſatisfaciat ambitioni, quatuordecim, vel quindecim Puerorum millia jubet occidi, & ſimul videt de ſe quovis tempore dictum iri, illos ab ambitione, & furore ſuo fuiſſe immolatos. Nam licet criminum ſuorum magnitudine omnes conſcientiæ ſuæ ſtimulos, & ſecretas exprobrationes, quas ſibi quiſque intrinſecus facit, ſuffocaverit: tamen mors tot Innocentium victimarum crudeliter cæſarum jugiter ſeſe illius oculis objiciens, nonniſi illi ſuum facinus, furoremque poterat exprobrare. Conſideremus poſt hæc tyrannum poſtquam tantum facinus executus eſt; Spiritus Illius plurimo horum Puerorum phantaſmate, quod illi plane ejus furorem, ac inanem crudelium imperiorum ſuorum feveritatem oſtendit, agitatur; ita ut ſi omnes homines congregati fuiſſent, ut tyrannum eumdem morti damnarent, nunquam tantum illi terrorem injeciſſent, quantum illi peperit funeſtum hoc objectum tot Puerorum interfectorum. Tamen nondum ſaturata eſt ejus ambitio, non enim cernus eſt, utrum parvulus Rex ille, quem quærit, mortuus fuerit, & in hac univerſali cæde involutus. *Biroat.*

Apoſtrophe ad SS. Innocentes; eo quod morte ſua Salvatorem ſuum ſervaveriæ.

Quam beati vos eſtis parvuli Salvatores magni Salvatoris Mundi totius? Nonne jure dicere poſſumus vos primo falvaſſe illum, antequam ab eo reliqui homines ſalvarentur, quandoquidem mortui eſtis pro illo antequam pro vobis ille moreretur? Sed ut verum dicam, vos mortui non eſtis, ipſe ille in vobis eſt mortuus; non enim veſter, ſed ſanguis ſuus in venis veſtris requirebatur; ejus vita, non veſtra requirebatur in ſanguine veſtro; verbo, ille, non vos, ad necem requirebatur. Itaque mors veſtra proprie ſua fuit, ita ut vos fueritis totidem veluti parvuli Salvatores. Aliorum Martyrum gloria celebratur, quo vitam ſuam pro Redemptoris ſui gloria dederunt; ſed non eſt illis hoc privilegium, quod vobis, qui immolati fuiſtis, perinde ac illius perſona fuiſſetis. Vobis dumtaxat hæc tribuitur laus, quod Eccleſia tanquam primos Martyrum flores vos ſalutet: *Salvete flores Martyrum.* O flores innocui! Quanam labe fœdati eratis? quod crimen commiſeratis, ut tales daretis pœnas? Omne ſcelus veſtrum hoc erat, fuiſſe adeo ſimiles humanitati J.C., ut ab illo ſecerni nequaquam poſſetis; ſcelus veſtrum erat, eſſe ætate illi pares, patriæ ejuſdem cives, & fortaſſe illi etiam aliqua cognatione conjunctos. Similitudo hæc propter quam illum vos eſſe putabamini, illud crimen eſt, quod vos dignos præbuit, qui mortem adeo glorioſam ſuſtineretis. O milites beatæ crudelitatis monſtri hujus vitæ! qui fere natcentes primos redemptionis totius naturæ humanæ fructus tollegiſtis: beatitudo incomprabilis, quam non ipſi vos quæriſtis, ſed quæ propter ſolam Dei voluntatem vos ipſa quæſivit. Ne dicat quiſpiam vos non potuiſſe mereri palmas, quia illas velle non poteratis. Verum quidem eſt vobis non aliam fuiſſe voluntatem, quæ vos ageret, niſi voluntatem Salvatoris veſtri. Sed quis dicere auderet, vos non meritos fuiſſe, ut pro Sanctis Martyribus haberemini, quia non aliam, quam Dei voluntatem habueritis. *P. de Argentano Collat. Theologic.*

Herodes in conſilio ſuoque ſibi contrarius.

Ita eſt, o glorioſi Innocentes, vos in album generoſorum Athletarum referimus, qui pro tuenda J.C. gloria vitam fuderunt. Vos pro gloria ejus non ſecus ac illi pugnaſtis, vos pro illius perſona paſſi eſtis, quod illi non fecerunt, ut vos; vos lacrimis veſtris locuti eſtis, vos confeſſionem veſtram veſtro ſanguine, & morte ſignaſtis, & Dei filius, quem corpore veſtro tegebatis, vobis ſpiritum, voluntatemque ſuam dedit, ne quis Martyrum dignitatem vobis detrectaret. Hac igitur fruimini in terra, ubi eam morte veſtra eſtis adepti? ejuſque coronam in cælo poſſidete, ubi cum illo regnatis, pro quo certaviſtis, ac fatemini vos gloriam debere gratiæ, quæ vos prævenit. *P. Senault Oratorii Presbyter.*

Impius Herodes ſibimet contrarius videtur in ambitioſis conſiliis ſuis: unde enim quæſo metus ille proficiſcitur, quem propter puerum recens natum concepit? Quomodonam tenella ætas tantum ſuſpicionis in animum ejus valet immittere, ut reformidet? Nam metuit novum ſydus, an allatum ſibi a Magis nuntium de nativitate novi Judæorum Regis? Num Prophetias a Sacerdotibus, & Legis Doctoribus explicatas? Sed infelix Tyranne, vel omnibus ſignis his credis, vel minime credis. Si credis ſigna hæc a Deo eſſe, putaſne te effecturum, ut æterna ejus decreta in irritum cedant? Putaſne te divinam Majeſtatem fallere poſſe, omnique ejus evertere conſilia? Si credis hæc omnia a Deo eſſe profecta, fruſtra tantam cædem perſequeris; hoc potius tuos conatus infringet, quam juvabit; tantum enim tuum Regnum imminuis, quot ſubditos enecas, & non ideo minus Dei voluntas implebitur. Sin autem credis hæc omnia miracula eſſe præſtigia, & tibi fucum fieri velle arbitraris, fruſtra reformidas phantaſma, in rudium hominum mente, qui illud tibi nutiarant ſubſiſtens. Sed Tyrannus ad hæc rationum momenta animum non poteſt advertere; caret bono ſenſu, atque furens dominandi cupiditas illum ita obcæcavit, ut minime mirum ſit, ſi in tantæ cæcitatis exceſſu jubeat tot innocentes victimas immolari ea mente, licet inutili, ut eadem involveret internecione Regem recens natum, cujus gloriæ neſcius, eos immolat. *Mollinier Sermone in diies feſtos ſanctorum.*

Fortaſſe plerique horum Puerorum in mundo periſſent, ſi ſecundum naturæ curſum vixiſſent.

Ut intelligatis apertius bonum illud, quod his Innocentibus præceps eorum attulit Martyrium, quiſnam dubitare poteſt, quin eorum nonnulli, & fortaſſe etiam plurimi quin ingrederentur in Cælum per innocentiæ viam, quæ eſt infrequens admodum, in viam perditionis eſſent aberraturi? Quis ſcire poteſt utrum primi illi Dominicæ nativitatis prænuncii primi futuri fuiſſent, qui cum aliis populi ſui in Jeſu Chriſti mortem conjurarent; vel etiam futuri fuiſſent ex numero perſecutorum ejus, cum hoc pacto fuerint primitiæ victimarum, quas Herodis crudelitas illis immolavit? Credi ſaltem poteſt, quin audeamus incerti futuri arcana ſcrutari, non omnes innocentiam ſuam ſervaturos fuiſſe, quam ante Dei thronum pertulerunt; experientia quippe ſatis nos docuit, quot illa periculis obnoxia ſit in generali mundi totius labe. Quis enim ignorat proclive illud ſtudium, quo prona trahitur in voluptates adoleſcentia? Quis ignorat vim cupiditatum, quæ provectioris ætatis ſunt ſcopuli? Occaſiones, quæ vel occurrunt, vel quæruntur in toto vitæ curriculo, ubi virtus etiam optime roborata ſtare nequit, niſi peculiari Dei præſidio fulciatur. Vix alius auditur ſermo, quam de periculis, quæ ſalutis amittendæ paſſim occurrunt, & de ſalutis obtinendæ ſumma difficultate. Numerus vero eorum, qui innocentiam ſemel amiſſam reparant vera pœnitentia, adhuc minor eſt, quam eorum, qui illam toto vitæ ſuæ ſpatio tuentur. Quodnam igitur in ſalutis diſcrimen vocati non fuiſſent illi omnes, quos Eccleſia, ſimulque Patres primitias humanæ redemptionis, primoſque fructus lacrimarum, ſanguiniſque Salvatoris appellant? Profecto cum S. Auguſtino dicere poſſumus, Herodem cum tota potentia ſua nequaquam potuiſſe beneficiis ſuis tantam conferre beatitatem, quantam odium ipſius procuravit, vel odium potius, quod contra Meſſiam conceperat, quem in eorum perſona perſequebatur: *Ipſe inique non potuiſſet ei tantum prodeſſe obſequio, quantum profuit odio.* Quod efficit, ut certiſſime inter maxima Dei beneficia collocare poſſimus, atque prædilectionis tanquam argumenta cognoſcere, afflictiones, pœnas, cruces, quibus divinæ providentiæ placet nos in hac vita dignari: cum via hæc fuerit omnium electorum via, & cum ipſe Dei Filius de hac nos veritate confirmet, quandoquidem in anteceſſum beatos appellat eos, qui in hac vita *perſecutionem patiuntur propter juſtitiam. Auctor Sermonum in argumenta omnia.* (*Matth. 5.*)

Impiorum perſecutiones in bonos, alios quidem in virtute confirmant, alios vero imbecilles quaciunt.

Improborum perſecutiones viris bonis hoc bonum procurant: illos vulgo in gratia ſervant, & in Dei ſervitute confirmant: verum quia non deſunt alii, quos quatiant, perturbentque, dicere poſſumus in hoc verum poſitum eſſe diſcrimen inter Dei, & ſæculi filios, quemadmodum loquitur Scriptura, ſi perſecutionibus cedunt neque ſuſtinere poſſunt irriſiones, & dicteria, quæ ſibi ingeruntur; neque ſatis animi illis eſt, ut odium, quo improbi eos proſequantur, bellum, quod

æquo liberiores ipſis indicunt; verbo perſecutiones, quas mundus in illos exercet, æquo animo ferant. Pudet eos palam juſtitiæ, virtutiſque partes amplecti, ne irrideantur, & populi ludibrium fiant, vel ne traducantur tanquam ignavi, & morum, officiorumque mundi hujus ignari. Hæc ex S. Auguſtini ſententia magna perſecutio eſt, qua mundus innocentiam laceſſit; crudelior, ac funeſtior quodam in ſenſu illa, quam Tyranni fidei, & Religioni intulerunt: efficit enim, ut abrenuntietur pietati, atque officiis præcipuis, quæ Chriſtiani in ipſo baptiſmate palam profitentur. Verum hæ ipſæ perſecutiones liquido probant, quinam ſint electi, atque prædeſtinati; illorum periculum faciunt, & in cauſſa ſunt, ut magis generoſi, fideles, & glorioſi videantur. Hæc veritas eſt, quam ſæculorum omnium experientia confirmavit, virtutem, innocentiam, & morum ſanctimoniam nullibi magis, quam inter perſecutiones enituiſſe. Nunquam David major, vel ſanctior fuit, quam cum Saul illum ad mortem uſque peſecutus eſt; numquam Judæorum populus fidelius Dei cultui adhæſit, quam cum peruſiſt Deus, ut opprimeretur, ducereturque in ſervitutem, & omnes undique illum perſequerentur? Nunquam Chriſtiani ſanctiores fuerunt, quam cum teterrimæ ſæviebant perſecutiones, ubi in ſingula momenta vita eorum in diſcrimen vocabatur, & coram Tyrannis ſe ſe ſiſtere cogebantur. Martyrium intuebantur tanquam ſuæ beatitudinis cumulum, & veluti locupletiſſimam mercedem vitæ ſanctæ, & innocuæ, quam duxerant. *Idem.*

Per Herodis perſecutionem & Innocentium eadem fecit Dei Filius primæ Chriſtianæ Religionis fundamenta.

Bonum præſtantiſſimum, quod Herodis perſecutio his Pueris procuravit, fuit, pro Jeſu Chriſto cæſos fuiſſe.

Hoc etiam aliud bonum eſt, quod Herodis perſecutio beatis Infantibus procuravit, quod nempe primi fuerunt Jeſu Chriſti Martyres; & ſicut canit Eccleſia, flos & primitiæ Martyrum, videlicet primi teſtes divinitatis J.C.; quia, dicit illa, non loquendo ſed moriendo, non voce, ſed ſanguine, illum confeſſi ſunt. Noſtis, quæ gloria Martyris nomini adhæreat, & Chriſtianam Religionem nihil ſublimius, & majus habere, nec ignoratis in cælo fulgidiſſimas coronas illos manere, qui invicta conſtantia inter ſæviſſimos cruciatus fidem ſuam fuerint confeſſi. Hanc autem gloriam, hunc honoris titulum, hunc felicitatis cumulum adepta eſt hæc Puerorum turba, quorum memoria hodierna die ab Eccleſia celebratur, hujus perſecutionis præmium. Dei Filio accepti ſunt non propter innocentiam tantum, verum etiam propter Martyrium, quod per occaſionem illius ſubierunt. *Idem.*

Dei Filius paſſus non eſſet hos Pueros propter ſe vitam amittere, niſi eos voluiſſet remunerari aliquo bono, quod vitæ ipſi præſtaret.

Si mors glorioſa eſt coram hominibus, cum nobilem ob cauſſam & præclara quapiam in occaſione ſuſtinetur; ſane coram Deo pretioſa eſt, cum pro ejus gloria, quomodocumque ſuffertur. Illud autem in SS. Innocentium morte ſingulare eſt, excepiſſe illos in ſe vulnus, quod Homini Deo inferebatur; atque eumdem ab inimicorum telis eripuiſſe. Si præterire non potuerunt hiſtoriæ liberalitatem Principum erga ſubditos, qui per illorum occaſionem, ac in iſporum odium contumeliis affecti fuerunt; Dei Filius paſſus ne fuiſſet hac innocentes victimas propter ſe, & in locum ſui internecione deleri, quin illis reponeret aliquid illa vita pretioſius, quam propter illum, & in locum illius amiſerunt? Quid autem illis vita præſtantius largiri poterat, niſi nomen, gloriam, & martyrii mercedem? quandoquidem hac una re pietas Jeſu Chriſti, S. Bernardus ait, Herodis tyranni, crudeliſſimi impietatem ſuperavit. *Nunquid major eſt impietas Herodis pietate Chriſti? Idem.*

Quid ut ſolitatis ex hac Innocentium morte percepit Deus, & quid ipſi etiam percipere debeamus?

Hoc exemplo docemur, numquam Deo majorem gloriam deferri, quam proter illius amorem patiendo.

Ex hoc exemplo dicendum nobis eſt, non poſſe nos majorem Salvatori generis noſtri gloriam deferre, quam aliquid propter illius amorem ſuſtinendo; & ſicuti omnium ſacrificiorum, quod illi offerre valeamus, maximum eſt vitæ nocitræ per generoſum martyrium; illud quod propius ad hoc accedit, ideoque illi glorioſius eſt, ſane eſt aliquid pro illius gloria tuenda perferre. Nefas eſt nobis manum cruentam inferre, & mortem conſciſcere, quod horribile flagitium eſſet, ſed propter juſtitiam mori, & labenti, & æquo animo illi parcere, qui per vim, & ſcelus vitam noſtro ſibi eripere, heroicum eſt. Simili ratione ſuis ſe bonis exuere, ut expeditius ſerviatur Deo, magnum eſt ſacrificium, ſed patienter ferre illa nobis auferri, hoc meu quidem ſententia aliquid majus eſt, quod ſimul complectitur meritum patientiæ, contemptus rerum humanarum, ſubmiſſionis Providentiæ Dei; & quod bonum uſum, in quem ereptas opes convertere poſſemus, exæquat, vel ſuperat. Ita eſt, honor, nomenque bonum ſint nobis utiliora, ut Sapiens inquit, theſauris omnibus; verum enim vero ſi invidia, vel calumnia hunc nobis honorem eripiunt fideliſſime munere noſtro perfungentibus: hæc, fateor equidem, graviſſima eſt perſecutio, & plurimis eſt admodum delicata tentatio; ſed magnum ſit Deo ſacrificium, cum propter illius caritatem homium judicia contemnuntur, & flocci fit aliena de nobis æſtimatio, ne illam amittamus, quam apud Deum obtinemus: ita ut licet omnia hæc adverſa nobis accidant invitis, patientia, quam præ nobis ferimus in hujuſmodi perſecutionibus, majorem ſæpe Deo gloriam defert, quam quodlibet præclare factum, quod zelo acti aggrederemur. *Idem.*

Aliam addo rationem, propter quam mors SS. Innocentium Filio Dei extiterit glorioſa; quod videlicet peculiari proſus ratione ad Religionem inſtituendam contulerit. Etenim quin memoremus corum martyrium unum eſſe ex iis vaticiniis, quorum complementum non poſtremum eſt adventus Salvatoris noſtri argumentum, ſimulque teſtimonium veritatis Legis illius, quam ille annuntiavit, ſatis eſt meminiſſe Eccleſiam, & Religionem ab illo inſtitutam ortum, & incrementum inter perſecutiones tantummodo inveniſſe, quamobrem Tertullianus ait, Martyrum ſanguinem ſemen fuiſſe Chriſtianorum; inde enim Chriſtianiſmus originem duxit, & ſtatim ac nova Religio hæc nuntiata fuit, infernus, omneſque tenebrarum poteſtates debacchari inceperunt adverſus eos, qui illam profitebantur. Sed quod proprium eſt argumenti quod pertractandum ſuſcepimus, hoc eſt, quod cum Providentia voluerit, fidem, novamque legem hoc pacto latius extendi; Herodes omnium primus Auctorem illius perſecutus eſt, ubi primum auribus ejus accidit nativitatis ejuſdem nuntium, ideo enim innocens eorum puerorum cruor effuſus eſt, ne Judæi novum Regem agnoſcerent; ideoque cruor ille fuit primum veluti Chriſtianiſmi ſemen. Hoc ſanguine Religionem jugulare tentatum eſt; ideoque crudeli hac cæde hominum Salvator prima jecit illius fundamenta. Hic ille honor eſt, quem Infantes illi Dei Filio procuraverunt; quod primi illum mortalibus præbuere agnoſcendum, & quod morte ſua primi martyres extiterunt; videlicet primi novæ Legis teſtes. Felices Victimæ, ſuper quas I. C. primitias ſpiritus Martyrii effundit, & quæ mercedem recipiunt perfectæ illius caritatis, quæ vitam ſuam ponit pro amicis ſuis: *Majorem caritatem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Jam pro vobis Salvatoris munere ſangebatur J. C., vos enim auferens mundo, ex laqueis illius eripiebat, omnibuſque liberabat periculis, ut vos in tutiſſimum portum adduceret. *Idem.*

Per Herodis perſecutionem & Innocentium eadem fecit Dei Filius primæ Chriſtianæ Religionis fundamenta.

Duplicem Deus ex primi hac perſecutione utilitatem recepit; hinc quidem beatitudinem horum Puerorum, qui fuere primitiæ Sanctorum, atque Prædeſtinatorum novi Teſtamenti; inde vero gloriam ſuam, cui mors illorum mirifice profuit. Sed utilitas, quam ipſi debemus percipere, eſt patienter ferre tribulationes, undecumque proficiſcantur; præſertim vero cum propter juſtitiam accidant, & cum innocui ſumus, ac immunes ab iis criminibus, quæ nobis ingeruntur, & quorum nomine redarguimur. Ita Deus nobis amorem teſtatur ſuum, nobiſque tribuit aperiſſimum noſtræ prædeſtinationis pignus. Verbo, hæc eſt æternæ felicitatis origo: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam; quoniam ipſorum eſt regnum Cæleſtum.* (*Matth. 5.*) Si tantum gloriæ pondus recipimus ex iis perſecutionibus, quas propter Deum ſuſtinemus, viciſſim per eaidem incomparabilem ipſi Deo gloriam procurabimus, quandoquidem hoc eſt certiſſimum argumentum, ex quo nos illi adhæreſcere innoteſcit; ita ut non hominum odium, non illis diſplicendi, eorumque in nos animum laceſſendi metus, non denique quid in mundo moleſtiſſimum eſt, nos ab eo valeat avellere. Hoc in ſtatu Deus eos conſiderat tanquam famulos id unum cogitantes, quod ad ejus utilitatem, & gloriam conſerre poteſt, &, abſit verbo invidia, tanquam martyres Juſtitiæ, quibus poſtquam virtutis eorum periculum fecit, gloriam præparat immortalem. *Idem.*

PRO SANCTI JOSEPH PANEGYRICO.

MONITUM.

Auciſſima ea ſunt, quæ de S. Joſeph vita nobis ſint comperta, & explorata. Tria, vel quatuor facta in Evangelio memorantur, & ne unum quidem ex verbis illius ibi inveniatur. Abſconditum, ac latens vitæ genus, quod ſecutus eſt, accedente ſilentio, quod Patres antiqui de ſancto Viro adſectaſſe videntur, nobis nequaquam uberem ſuppeditaret ſupellectilem ad laudes illius celebrandas, niſi parum illud, quod ex Evangelio didicimus, ejus generis eſſet, ac præſtantiæ, ut quicumque magni hujus Viri Encomium inſtruendum fuerit aggreſſus, vereri debeat, ne magnitudine rerum dicendarum obruatur. Satis enim eſt dicere glorioſos titulos Sponſi Mariæ, & Patris Jeſu, quos poſſidet, & dignitatem Capitis familiæ ſanctiſſimæ, ac jus imperandi duabus perſonis, quibus nihil auguſtius in terris eſt, nec non fidelitatem in omnibus his adeo illuſtribus officiis obeundis totidem Sermones expoſcere.

Quamobrem Sacro Oratori Auctor eſſem, ut potiuſquam omnia hæc uno Sermone complecti admitatur, in aliquo ex hiſce titulis immoretur, alios vero argumentorum locos adhibeat, quemadmodum quamplures notæ melioris Encomiaſtes fecerunt; & ſubinde morales animadverſiones afferat, quæ applicari poſſint ad omnia ſtatuum, conditionum, ac perſonarum genera; quibus inſignis hic Sanctus tamquam exemplar proponi poteſt.

PARA-

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus Argumenti Synopsis.

Quis putas est fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? Matth. 24.

I. DEus qui fumhum est bonum, & bonorum omnium origo, varie Sanctis suis se communicat. Cum illos per gratiam, quæ ex S. Petri (1. *Petr.* 14.) Doctrina multiformis est, ad suos fines deducat, varios tribuit illis Sanctitatis characteres, prout magis expedit gloriæ luæ, vel propriæ illorum sanctificationi; vel Ecclesiæ utilitati, efficiens, ut aliqua ex divinis perfectionibus suis in singulis eorum rendeat. Sunt homines misericordiæ ejus participes, quos propter alios magis quam illos ipsos ditat, & quos suscitat, ut quidam sint veluti publici benefactores, & alienis necessitatibus opitulatores. Sunt homines potentiæ illius veluti consortes, quibus dedisse videtur omnem brachii sui virtutem, qui ipsi naturæ stuporem injiciunt, eamque superant signis, atque prodigiis, cum id agitur, ne veritas sua palam probetur, vel Judiciorum suorum timor incutiatur. Verum non desunt etiam viri Providentiæ illius, quos veluti gradatim deducit, quibus largitur spiritum rectum & cor docile ad voluntates suas cognoscendas, adimplendas, easque etiam aliis detegendas. Hic est S. Joseph character. Vir est, qui confidit in Deo, & in quo confidit Deus; qui subjectum est, atque minister maximorum consiliorum illius.

1. Qui semper in manibus providentiæ Dei se continet, ut se ipsum regat.

II. 2. In cujus manibus Deus providentiam suam collocat, ut regat Jesum, & Mariam. *Plechier.*

Quis putas est fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? Matth. 24. In gratiarum, bonorumque largitione, quæ Deus suis creaturis distribuit hunc ordinem servat, ut illa pro magnitudine ministerii, cui quamlibet destinat, congruæ disponat: ita ut si qui sunt, qui aliqua re aliis excellant, eos sublimioribus muneribus obeundis elegerit Deus. Hæc autem distinctius primum sit in mente Dei, ubi creata omnia tanquam in abysso infinita continentur; & ubi si tanquam mere possibilia considerentur, paria sunt omnia; cum Angeli minime præstent hominibus neque homines invicem aliis, donec se se prodat intentio Dei, atque discrimen instituat. Tunc enim cum Deus aliis ad sublimiora uti decernat, eosque difficilioribus negotiis disponat, illis etiam speciales gratias, insigneque favores destinat, atque largitur. Maximum autem, præstantissimumque consilium, quod Deus ab æterno conceperit, sane fuit Incarnationis Mysterium, quod antonomastice Maximum omnium sæculorum opus vocatur. Quod vero S. Joseph super reliquos mortales attollit, hoc est, quod nunquam Deus de mysterio hoc cogitavit, quin simul de S. Joseph cogitaret. Et ratio contat: ut enim Deus homo fieret similis nobis, egebat Matre, & ad Matris hujus honorem tuendum, Virgo illa viro indigebat, eoque viro, qui Salvatoris pater haberetur in terris, & cujus Salvator ipse filius esse putaretur.

Ceterum cum hic Homo Deus ad conjugii umbram, ut mysterium illud lateret occultius nasci voluerit, elegit Deus eumdem S. Joseph, cujus prudentiæ & Matris honorem, & Filii vitam commendavit, illum constituens ejus familiæ caput, ubi Angelorum Regina, & Cæli Imperator illi subditi erant. *Fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* Hæc duo erunt lineamenta, quæ S. Joseph imaginem ad vivum referent, nobisque virtutes & magnalia ipsius exhibebunt, sub duplici aspectu, 1. Servi subjecti, & a Dei sui imperiis omnino pendentis: 2. Capitis, ac heri, qui prudentiæ prorsus cæleitis lumina possidet simul cum æquissima, & legitima auctoritate conjuncta; ut dux fiat Homini Deo, qui dignatus est Filius ejus haberi, & Virgini Matri sibi desponsatæ.

III. *Jacob genuit Joseph virum Mariæ, de quo natus est Jesus.* Matth. 1. Ne videatur mirum, si Spiritus Sanctus Evangelistarum opera incomparabilis S. Joseph elogium celebraturus duo tantum adfert Verba: *Virum Mariæ, de qua natus est Jesus.* Etenim post duplex hoc verbum nihil addendum est, & in eo omnia illius encomia, omneque illus virtutes continentur. Qua in re hoc illi est cum gloriosa Virgine conjuge sua commune, cujus prærogativæ omnes sub hoc solo Deiparæ titulo continentur; ut existimarem me Spiritui Sancto veluti contumeliam inferre, si aliud quodlibet aggrederer argumentum Panegyricæ Orationis in laudem Magni hujus viri, quem ille ipse sub duplici hoc titulo conspiciendum proposuit, Sponsi Mariæ, & Patris Jesu. Quamobrem hoc in sermone nihil mihi ostendere fert animus, quam inexhausta magnitudinis secreta aperire, quæ duplex hic titulus capit.

Si hac in oratione sequi vellem humanæ eloquentiæ præcepta, profanoque imitari Panegyristas, antequam verba facerem de S. Joseph, Patriarcharum horone, principe in Dei familia super terram, tertia Trinitatis Greatæ persona, Mariæ viro, nutritio Salvatoris patre, gloriæ suæ partem in sepulcris Regum Juda conquirerem, a quibus originem duxit. Excitarem gloriosos Principum omnium, qui solium Davidis obtinuerunt, Majorum illius cineres; diceremque Sanguinem Joseph, Patriarcharum, Summorum Pontificum, & Judæ dicum populi, qui in domum illius nobilis se invexerunt, irrigasse, ut nobilior, purior, sanctiorque fluret, cum magni hujus viri corpus componeret. Magna hæc argumenta missa facio, ut sermonem meum intra augustos eas qualitates contineam, quas Scriptura Sancto huic tribuit, castissimi videlicet Mariæ Sponsi, legislique, ac nutritii patris Jesu. Duo hæc nomina, quæ inexhausti sunt totius gloriæ Sancti hujus fontes, duo hæc reverentiæ, & amoris vocabula, quæ sunt laudum omnium, quas meretur fundamenta, duplicem Elogii ipsius partem constituent.

IV. Pro textu hæc assumenda verba: *Fidelis servus quem constituit Dominus super familiam suam.* Matth. 24. Cum elegerit Deus notionem unam, ex qua sibi præcipue faceret populum sibi, voluit ex hoc populo familiam assumere, in qua magnum illud impleretur opus, quod Sapientia sua ab æterno decreverat, in brachii sui fortitudine, cum temporum accederet plenitudo, adimplendum, in quo ejus Misericordia & Justitia ex æquo fulgere debebant, videlicet hominum Redemptionem. Sed quisnam hanc Altissimi familiam componet? Hinc quidem creatura facta Mater Creatoris, Virgo sine Virginalis integritatis labe fecunda, puella Sponsa Spiritus Sancti effecta: inde vero Deus caro factus, & caro ad Divinitatem usque sublata; Æternus factus infans, & infans in ipsa infantiæ infirmitate factus omnipotens. Aliquisne inter homines est, cui possit Deus ejus familiæ curam demandare, ubi tot elucent prodigia, quorum minimum præstantissimas Angelorum mentes confundere valet? Est sane, & ille Sanctus est, cujus nodierna die festivitatem celebramus: *Quem constituit Dominus super familiam suam.* Habentur tamquam summi viri illi, quibus Principes terræ similem committunt provinciam; regiarumque personarum, quarum illis traditur cura, in illos resilit, ita ut in illos intuentes allucinemur. Quem ergo conceptum animo fovere nos decet Sancti Joseph, quem Dominus præficere dignatus est illi familiæ, quam ille sibi in terris constituit? Quomodo respicere nos oportet virum eo indutum ministerio, quod præclarissimum fuisset cuilibet beatorum Spirituum, qui Altissimi solium circundant? Quis eorum non properasset in terras dilabi, ut tam præclarum munus obiret? Attamen audeo dicere, hanc nonnisi partem esse laudum S. Joseph. Frustra ad hunc dignitatis apicem fuisset evectus, nisi æque perfectam adhibuisset fidelitatem. Nonne id nobis biblia testantur per ea verba, quæ vobis proposui? *Fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. P. Martineau in Manuscripto sermone.*

V. Illud etiam pro textu potest afferri: *Joseph vir ejus erat justus.* Matth. 2. Pauca hæc verba complectuntur quidquid præstantius in S. Joseph laudem potest afferri; ad hanc enim amplissimam virtutem referuntur omnia bona, quibus gavisus est tanquam Secretorum Æterni Patris custos, Filii ejusdem adoptivus Pater, Sponsus, atque præsidium Sanctissimæ Virginis. Magna quidem privilegia & huic S. Patriarchæ singularia; sed quæ ab illius justitia sejuncta, admodum fuissent inutilia. Jesus, & Maria duo illius objecta fuerunt. Jesus, cujus Pater putabatur, Maria, cujus vere conjux erat. Jesus, & Maria uterque duo præstantissima manuum Dei opera; Jesus, & Maria, uterque caræ, prudentiæ, vigilantiæ, caritati, verbo, justitiæ Joseph concrediti. Quam ille tenuit justitiam erga Mariam? Quam justitiam in opella Jesu præstitit? Oportebat illum in summo gradu justum esse, ut cum Maria viveret, quemadmodum vixit; oportebat illum in summo gradu justum esse, ut Jesum amaret, quemadmodum amavit. Dicere igitur possumus; 1. illum justissimum fuisse conjugum omnium: 2. Justissimum fuisse omnium parentum: *Vir ejus erat justus. Elogia bisorica.*

De S. Joseph gloria judicium ferre possumus ex qualitate ejus depositi, quod Deus illius sapientiæ commisit super terram in tantum temporis spatium; idque ut ordinarim exequamur, illum in tribus iis qualitatibus intuebimur, quas illi præbet Evangelium. 1. Quatenus Mariæ Sponsum: *Joseph Virum Mariæ*; 2. Quatenus Patrem Jesu: *Ego & Pater tuus dolentes quærebamus te*; 3. Denique quatenus justum: *Joseph cum esset justus.* Quatenus Sponso Deus virginalis puritatis Sponsæ suæ depositum illi credidit; quatenus Patri, Deus illi tradidit depositum humanitatis Salvatoris; quatenus justo, commisit illi Deus animæ suæ depositum: sed ecce quid proprie illius encomium constituit. Sponsus est, qui Sponsæ suæ Virginitatem conservat eo in statu, in quo illam alii maculant. Pater est, qui humanitatem Jesu Christi tuetur eo tempore, quo Reges impii necem eidem moliuntur; justus est, qui animæ suæ innocentiam custodit eo sæculo, quo ac-

nemo sibi religioni vertebat illam amittere. *Sermones Christiani.*

VII. Laudandus esset S. Joseph, licet nil aliud de illo dici posset, nisi quod Vir Mariæ fuerit. Unus hic titulus satis esse potest ad panegyricam magni hujus Sancti orationem exornandam. Ut nobis hoc persuasum sit, satis est incomparabilis hujus hominis viam considerare, quæ in duas partes dividi potest. Prima ea est, quæ ejus matrimonium præcessit, altera, quæ illud subsecuta est. De priori nil omnino certi superest, de posteriori pauca; nihilominus vobis ostendam utramque sanctam fuisse, quandoquidem prior quidem coronari meruit his nuptiis, posterior autem quia in hoc matrimonio tota transacta est. Videlicet, gloriosa affinitas ista fructus extitit spectatissimæ sanctitatis, ad quam Joseph dudum pervenerat; & caussa fuit Sanctitatis adhuc eminentioris, ad quam postmodum evectus fuit. Videbimus ergo in primo Sermonis hujus puncto, 1. Sanctitatem, quam ille attulisse debuit ad has nuptias; 2. In altero vero Sanctitatem, quam in illis adeptus fuit. Quod est quidquid in hoc argumento præstantissimum afferri potest. *P. de la Colombiere.*

VIII. Simili ratione pro argumento Elogii S. Joseph desumi potest eximia dignitas, qua auctus est, cum Pater Jesu appellaretur, & unice huic immorari titulo ostendendo illum mirifice præstantissimo huic nomini respondisse, fideliterque commissam sibi spartam procurasse. Ideo ostendendum est, id quod Pater Æternus essentialiter in se ipso possidet erga Jesum, ipsum S. Joseph communicasse; quia simul ac ei Patris confert dignitatem; confert etiam illi; 1. Potestatem in Jesum. 2. Curam, paternamque providentiam, ut ei præsit, eumque nutriat. 3. Amoris sui caritatem erga illum. Primum illius complectitur dignitatem; alterum, officium; tertium, Sanctitatem; quæ tria simul eo majorem gloriæ illius conferunt accessionem, quo majori fidelitate tribus hisce rebus respondit; quæ tria sunt puncta hujus Sermonis. *Biroat.*

IX. Præstantia, & excellentia S. Joseph præ aliis Sanctis.

1. Justi omnes vere sunt adoptivi Dei Filii per gratiam, quæ est naturæ divinæ participatio; sed Joseph hoc fruitur privilegio, quod illius Pater est eo modo, quo sæpe explicuimus.

2. Omnes Sancti honori sibi vertunt, vocari servos Dei, quo nomine seipsum S. Paulus appellat; sed Joseph illius extitit Dominus, quandoquidem Salvator illi subditus erat.

3. Altissimi quique, ac supremi Spiritus non aliud fuit, quam Ministri voluntatum Domini, sed affirmare possumus, Dominum in omnibus voluntatem Sancti Joseph executum fuisse.

Argumentum proprium pro personis Religiosis, vel interioribus.

X. TRia mihi potissimum videntur in Sancto Joseph consideranda, profunda sui ipsius collectio, sublimis spiritus sui occupatio, amoris sui ardor.

1. Perfecta cognitio mysterii admirabilis Incarnationis, & jugis, quæ illi ob oculos versabatur, ejusdem aspectus, cum semper haberet secum Dei Filium, Deiparamque, efficiebat, ut incessanter, sine vi ulla, immo summa cum voluntate se se colligeret. Attentio illius ad hæc objecta Divina eum a terrenis quibuscumque separabat, eratque argumentum sublimis contemplationis, & caussa suavissimi raptus, quo spiritus ejus incessanter erat assumptus, ita ut rebus exterioribus nullam impenderet curam, nisi quam sanctæ familiæ suæ cura postulabat.

2. Lumina, & cognitiones ejus in dies augebantur, prout testis erat miraculorum, quæ sub oculis suis patrabantur. Quidquid videbat, quidquid audiebat, fidem ejus augebat, atque pietatem alebat suam esca, qua nullam jucundiorem Patriarchæ, & Prophetæ unquam gustarint, vel postmodum Apostoli, aliique Sancti erant gustaturi. Sublimes fovebat conceptus secretorum, quæ sibi fuerant detecta; internas Sanctissimæ Conjugis suæ, divinique pueri cogitationes penetrabat. Habebat in manibus suis pretiosissimum pignus, quod homini Deus valeat committere. Hoc ejus negotium quodcumque Angelorum ministerium superabat, & jus, quem in Dei Filium habebat, suavissimam simul, atque gloriosissimam provinciam illius efficiebat. Hæc una erat mentis ejusdem occupatio.

3. Hæc luminum copia, qua spiritus illius erat repletus, in corde illius inflammabat ardoris incendium, quo absumebatur; amor cognitionem æquabat. Tres ille habebat qualitates, sublimis in magnitudine, vehemens activitate, intimus communicatione. Sublimis; illum hauriebat Deus ex ipso fonte Misericordiæ, Majestatis, & puritatis. Vehemens; omnia ad illius ardorem augendum conferebant; Jesu, & Mariæ præsentia, obtutus, verba, in dies singulos nova adjiciebant flammas. Quis autem fando assequi posset, quid in Sancti Josephi anima Sanctus Puer operaretur, cum ille hunc inter ulnas gestaret, amplecteretur, & hic in sinu ejus quiesceret? Intimus; fruebatur enim secretissima familiaritate, quæ cum Jesu, & Maria cogitari possit, atque cum iis ea habuit communicationes, iisque deliciis abundavit, quas nemo unquam vel habuit, vel habiturus est. Quapropter hic interioris vitæ pater est, vetusque protector animarum, quæ sæpeque se se ab omnibus expediunt, ut gustum Divinorum mysteriorum valeant percipere. Intimæ illius cum Incarnato Verbo communicationes jus illi promeruerunt interioribus animabus subveniendi. *Ex tomo tertio Operum P. Surin.*

Ad ostendendam gloriæ magnitudinem, quam Deus Sancto Joseph communicavit, considerare satis est illius qualitatem patris, per quam Deus habet in Jesum. XI.

1. Patriam potestatem, quam habet in Jesum.

2. Curam, & peculiarem providentiam pro Filio suo.

3. Tenerrimam caritatem erga Salvatorem. *Biroat.* XII.

Considerari quoque potest in S Joseph; divinitus ad qualitatem Sponsi Beatissimæ Virginis ideo assumptum fuisse.

1. Quia Deus in eodem cognovit eam virtutum congeriem, quæ veræ, unicæque erant ad sublimem statum hunc dispositiones.

2. Quia Joseph a Deo dignus habitus tanto honore, repente cumulatus fuit immensis gratiis, quæ ab incomparabili hac dignitate sejunctæ esse non poterant. Ita hinc quidem nihil sublimius agnoscimus eo Viro, qui præstantissimum Sponsi Mariæ titulum meritus est; inde vero nihil majus fingi potest Sancto viro, qui præclare iis usus est gratiis, quas hæc dignitas sublimis eidem contulerat. *P. Stephanus Chamillart.*

Quamvis Panegyricæ illæ Orationes, quæ innituntur comparationi Sancti alicujus viri cum alio, vel allusioni ad infigne aliquod factum, satis perspectum, exploratumque, a nostrorum temporum studiis, & prædicandi ratione abhorrere videantur: tamen veteris Patriarchæ somnium adeo simplex est figura illorum, quæ re ipsa contigere S. Joseph, qui Mariæ quidem conjux erat, Jesu vero Pater habebatur, ut abstinendum non sit, quin figura hæc assumatur pro argumento, ac divisione Elogii magni hujus Viri, ex quo educi possunt eædem morales animadversiones, quas alia suppetunt argumenta. Itaque sicut vetus ille Patriarcha in somnis videre sibi visus est Solem, Lunam, ac Stellas undecim ipsum adorare, quod futuræ dignitatis suæ omen erat, id potest transferri ad S. Joseph gloriam, qui vidit. XIII.

1. Mundi Salvatorem verum Justitiæ Solem subditum sibi, sibique ea præstantem obsequia, quæ patri filius consuevit.

2. Qui quatenus Sponsus jus, & auctoritatem obtinuit in Beatam Virginem, Mariam nempe, quæ in bibliis, & ab ipsa Ecclesia Lunæ nomine appellatur, *Pulcra ut Luna &c.*

3. Denique ad illius absolvendum elogium, ostendi potest, illum reliquis Sanctis omnibus antecellere cujuscumque tandem ordinis, aut meriti fint, ideoque omnes huic obsequium debere, quod significant Stellæ undecim, quas primus ille Joseph sub pedibus suis una cum Luna, & Sole conspexit: *Vidi Stellas undecim adorare me:* (*Gen.* 37.) Porro captu nequaquam arduum est, Stellarum nomine Sanctos indigitari, postquam Scriptura testata est futurum, ut illi *fulgeant tamquam Stellæ in perpetuas æternitates*, (*Matth.*13.) & Apostolus asserit, Stellas has esse claritate diversas; videlicet pro illorum meritis, atque virtutibus fulgidius nitescere. Neque laboro quæsiturus, quænam sint hæ undecim Stellæ. Sive enim undecim Apostolos intelligamus, qui Salvatorem sequebantur, quæ aptior videtur significatio, seu novem Angelorum chori cum hominibus, qui duos præterea choros possunt adjicere, ubi secundum veterem, novamque Legem secernantur; seu præstantissimos antiqui Testamenti Patriarchas, quorum fecunditas ad Messiæ Nativitatem tantummodo referebatur; sive omnes ordines, in quos Ecclesia Sanctos dispescit, Apostolos, Martyres, Doctores, Confessores, Pontifices, & Virgines; seu tandem per determinatum numerum, uti mos est Scripturarum, pro tota Sanctorum universitate intelligatur, quorum, non secus ac Stellarum numerus uni Deo exploratus est; oportet hæc omnia Sancto Joseph subjici, postquam Sol, & Luna, videlicet Jesus, & Maria, qui Sanctorum omnium sunt Principes, illi subditi fuerunt: *Vidi per somnium Stellas undecim adorare me.* Ingeniosa, ac simplex figuræ cum veritate applicatio, præbere potest Sermoni argumentum, ac partitionem.

Deus Sanctos suos regit, & privatis afflatibus, & generalibus fidei, rectique sensus principiis. Inspirationi attentum esse, ac in ea sequenda esse docilem, fidelitas est; Sibi vitæ normam ex generalibus fidei, rectique sensus principiis conflare, sapientia est, & quidem supernaturalis. Juxta hæc Sanctum Joseph considerans dicere possum illum fuisse famulum æque fidelem, ac sapientem; fidelem, paruit enim revelationi, tunc cum in rebus arduis, confusta lumina satis non erant, ut illum deducerent, *Fidelis servus.* Hoc primum est punctum. Prudens, omnes actus suos secundum Fidei, & rectæ rationis principia composuit, cum in minoris momenti negotiis lumina sua sequi debebat. *Fidelis servus, & prudens;* quod alterum Punctum est. XIV.

1. Docilitas S. Joseph in sequendis inspirationibus Dei in rebus arduis.

2. Sapientia S. Joseph in sequendis generalibus regulis in rebus minoris momenti. Hæ duæ sunt Sermonis hujus partes. *P. Caroul.*

Erit magnus coram Domino. Luc. 1. Munus S. Joannis Baptistæ, videlicet esse Jesu Christi Præcursorem, illi hoc elogium ex ore Angeli promeruit, illum videlicet magnum coram Domino futurum. Sed potiori jure laudem hanc possi- XV.

et

det S. Joseph, quandoquidem custos est, tutor, pater nutritius, & Salvator salvatoris ipsius, ideoque.

1. Magnus est propter munus, cui illum destinavit Deus.
2. Magnus est, quia se digum præbuit hoc munere virtutibus suis &c.

XVI. 1. Ostendi potest S. Joseph eminentem habuisse dignitatem, in obscura, humilique conditione. 2. In vita communi, ac vulgari eminentem habuisse Sanctitatem.

Assumi etiam pro titulo possunt verba illa: *Fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*; Quamvis titulus fidelis servi sit elogium, quem tribuit Spiritus Sanctus omnibus Sanctis; & secundum artis regulas ad laudandum eum, qui tot ex locis gloriosus est, prætermittenda videantur ea, quæ minus sunt spectabilia, ut iis, quæ non nisi singularia sunt immorentur; quibus inter reliquos homines enitescunt, reor me nequaquam teneri hac profanorum Oratorum lege, ubi agitur de Sancto viro, qui nostras etiam admirationes excedit, ne si in illo ea tantum spectemus, quæ illum Deo propiorem faciunt, nimis illum ab hominum conditione semovere videamur, & ne tantam illius magnitudinem nos nequaquam imitari posse arbitremur. Oportet ergo quoadammodo virtutes illius intra humanarum virtutum cancellos cogere, ut sanctitas illius plures habeat imitatores, ac dicere, in ejus fidelitate maximum illius meritum situm esse. Etenim si servire Deo fideliter, regnare est quemadmodum veritas ipsa testatur, servitus, quam illi præstitit S. Joseph in re tanti momenti, ac in munere adeo glorioso, tanta est, ut non solum eum ab aliis Sanctis secernat, verum etiam illis esse possit exemplo: ita ut hæc qualitas Servi, quam contulit Deus Patriarchis, Apostolis, omnibusque Sanctis Veteris, novique Testamenti, fiat quodammodo singularis Sancto Joseph.

1. Quia suam infigniverit fidelitatem se divinis erga seipsum consiliis conformans in statu humili, atque obscuro, adeo infra sui generis nobilitatem posito.

2. Quia executus fuerit Dei mandata, ad id vitæ suæ requiem sacrificans, ac illius amittendæ periculo se objiciens; ac tandem quia tandiu Verbi Incarnati gloriam cum suæ detrimento celaverit. Quod fidelitatis illius periculum fecit, neque majorem Deus adinvenit, ut illius curæ committeret portem ejus negotii, quod maximi erat momenti, scilicet Incarnationis opus, ubi de mortalium omnium salute agebatur.

XVIII. De honore, quem retulit S. Joseph ex dignitate Patris Salvatoris.

1. S. Joseph possedit Jesum,
2. illi imperavit.
3. Salvatoris opera adjutus fuit.

Adde moralem animadversionem.

XIX. De quærendo S. Joseph patrocinio.

1. Jesus, & Maria cupiunt a nobis peculiariter Sanctum Josephum coli, & observari.
2. Ecclesia proposito nobis exemplo Christianos ad Sanctum Joseph colendum invitat.
3. Cujuslibet Fidelis spiritualia negotia suadent, & cogunt, ut S. Josephum colant, & venerentur.

Morales animadversiones, quæ hoc in argumento fieri possunt.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, atque Auctores, ubi copia possit hauriri ad propositas Sermonum Structuras exornandas.

SAnctus Augustinus *lib. 2. de Serm. Domini in Monte cap. 4.* ostendit Sanctam Virginem, Sanctumque Joseph veri conjugii vinculo fuisse conjunctos.

S. Hieronymus *in Helvidium* tenet non solum Mariam semper fuisse Virginem, verum etiam Joseph Sponsum ejus talem opera illius extitisse.

Idem contra Hæreticum eumdem sæpe loquitur de S. Joseph.

S. Chrysostomus Serm. 146. verba facit de electione a Deo facta S. Joseph, ut sponsus fieret Beatissimæ Virginis.

Idem *Hom. 4. in Matthæum* asserit, quod licet S. Joseph nil habeat cum aliis Patribus commune, est tamen Salvatoris pater modo sibi proprio, quæ res nihil officit Mariæ integerrimæ virginitati.

S. Joannes Damascenus. *Orat. de Nativ. B. Virginis*, alibique fusius de S. Joseph verba fecit.

S. Bernardus *Serm. 2. super missus est* Magni hujus Sancti texit elogium.

S. Bernardinus Senensis Sermonem edidit in diem Festum S. Joseph, ubi illum considerat ratione naturæ, gratiæ, & gloriæ.

Idem eodem in Sermone probat pie credi posse S. Joseph cum Salvatore resurrexisse, atque corpore simul, & anima in Cælis esse.

Idem alio in Sermone loquitur de S. Joseph, & Sanctæ Virginis desponsatione.

Theologi aliique. Suarez tomo secundo Mysteriorum *q. 29. disp. 8.* pluribus in articulis ea prosequitur, quæ ad S. Joseph pertinent.

Valquez tomo 2. in tertiam partem *disput. 125.* egregie probat verum fuisse inter Sanctum Joseph, Beatamque Virginem conjugium.

Jacobus de Valentia ex S. Augustini familia hoc ipsum erudite probat in tractatu quodam in *Magnificat*.

Canisius præclarum habet de hoc Sancto tractatum, *lib. de Deipara*.

Cardinalis Cameracensis *tract. de S. Joseph*.

Christophorus de Vega *in Theologia Mariana* ostendit S. Joseph appellandum esse patrem Salvatoris per solam nominis impositionem, quod illi dedit.

Gerson, *parte tertia, & quarta*, hoc ipsum probat.

Philippus Diez *ex ordine Minorum conc. de Sancto Joseph*.

P. Gratianus Carmelita tractatu de Sancto Joseph.

Bernardinus de Busto, *quarta parte. Moriale. Serm. 12.* Interpretes, qui ediderunt Commentaria in Sanctos Matthæum, & Lucam.

Granatensis in Meditationibus de vita Domini nostri capite secundo,

A Ponte, parte secunda Mysteriorum fidei, ubi verba facit de Magni Sancti hujus virtutibus, de mystico ejus nomine, & amore in Deum. Ascetici.

P. Suffren tomo secundo Anni Christiani, habet Meditationem pro decimanona die Martii de virtutibus S. Joseph.

P. Novet in fine Meditationum de Passione, duas habet, easque amplas de hoc Sancto Meditationes.

P. Croiset in exercitiis pietatis pro die Martii decima nona pulcrum habet elogium.

P. Joseph de Verthamont, octiduum concinnavit de S. Joseph, ubi collegit quidquid diserte, solideque dici potest in hoc argumento.

S. Franciscus Salesius in colloquiis sublimem astruit Sancti hujus conceptum.

P. Barri tractatum edidit de devotione erga S. Joseph.

P. Hainceuve in prima parte Meditationum, eximiam habet hujus argumenti.

P. de Argentan Capuccinus in tomo de Magnalibus Virginis, collatione decima tertia de hoc verbo loquitur.

In Spiritualibus Epistolis Patris Surin tomo tertio epistola unstecima, duodecima, ac decima tertia sermo est de Sancti hujus virtutibus, & prærogativis.

Operosum est diligentem afferre nomenclaturam eorum, qui panegyricos de hoc Sancto orationes ediderunt. Hi patent, & ad cognitionem meam pervenerunt.

Joannes Echius propter eruditissima opera celeberrimus tres habet hujus argumenti Sermones. Coæternatoris Veteres, & nuperi, qui S. Joseph elogium ediderunt.

Georgius Bertholdus Pontanus tomo primo.

Gerson Parisiensis Universitatis Cancellarius Sermonem, habuit hujus argumenti in Constantiensi Concilio.

Idem in Evangelium: *Exurgens Joseph fecit sicut dixerat ei Angelus*.

Osorius tomo tertio *in Feria Festi Sancti Joseph*.

Thomas de Frugillo Religiosus Dominicanus.

Molinier tomo primo suarum Orationum Panegyricarum.

Biroat, tomo primo Panegyricorum.

Abbas de Marue.

Abbas de Jarry.

P. Senault Presbyter oratorii tomo primo.

Fromentieres in Sermonibus suis.

P. Texier tomo primo Panegyricorum.

P. de la Colombiere tomo secundo Semonum.

P. Duneau tomo primo Panegyricorum.

P. Odet d'Allier tomo primo.

Auctor Sermonum in omnia argumenta &c. Tomo primo Panegyricorum.

Auctor Sermonum Christianorum in præcipuas anni festivitates tomo primo.

In Elogiis historicis Sanctorum, adest S. Joseph Elogium.

In Specimine Orationum Panegyricarum, sunt Sermonum hujus argumenti compendia. Qui collectanea ediderunt.

Labatha titulo Joseph.

Carthagena in homiliis de hoc Sancto.

Engelgrave de festis diebus Sanctorum.

Spaner, Titulo Joseph.

Theophilus Renault, in Marial.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, figuræ, & applicationes Scripturarum huic Argumento.

Adclamus ei adjutorium simile sibi. Genes. 1.

Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor. Psalm. 10.

Mulieris bonæ est vir. Eccles. 26.

Obediente Deo voci hominis. Josue 10.

Mulier bona dabitur viro pro factis suis. Eccles. 28.

Mulier diligens corona est viro suo. Prov. 10.

Nemo natus est in terra, sicut Joseph. Eccles. 49.

Ite ad Joseph, & facite quidquid dixerit vobis. Genes. 41.

Fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, Matth. 24.

Jacob genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus. Matth. 1.

Cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph. Ibidem.

Joseph Filii David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spirito Sancto est. Ibid.

Fa-

Facis Joseph sicut præcepit ei Angelus, & accepit conjugem suam. Ibidem.

Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, & accipe Puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum. Idem cap. 2.

Missus est Gabriel Angelus a Deo ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, & nomen Virginis Maria. Luc. 1.

Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Luc. 2.

Et erat subditus illis. Ibidem.

Nonne hic est fabri filius? Matth. 13.

Erant Pater ejus, & Mater mirantes super his, quæ dicebantur. Luc. 2.

Tanto melior Angelis effectus, quanto præ illis differentius nomen hereditavit. Ad Hebr. 1.

Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in filium. Ibid.

Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum loqueretur nobis in via? Luc. 24.

Deus ex quo omnis paternitas in Cælo, & in terra. Ad Ephes. 4.

Caput mulieris vir. Ad Corinth. 6.

Constituit eum Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ. Psalm. 104.

Qui custos est Domini sui, glorificabitur. Proverb. 27.

Quis putas, est fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? Matth. 24.

Exempla, & figuræ Scripturarum hujus Argumenti.

Veteris Patriarchis Joseph sublimium figura est gloriæ & auctoritatis S. Joseph.

NOnne pulcherrimum somnium fuit illud veteris Patriarchæ Joseph, cum in extasi mystici soporis vidit Solem, Lunam, & Stellas, quæ ipsum venerabantur? Parvulus hic pastor, quem destinabat Deus insignem summi Regis Ministrum, Ægypti Salvatorem, nutritiumque patrem populi sui, dormiens etiam secum agitabat cogitationes, atque præsagia magnitudinis, & quod in nobis effectus est imaginationis somni vaporibus perturbatæ, in illo vaticinium erat, ac revelatio. Donec illius corpus aliquo in tugurio quiescebat, spiritus ejus jam ferebatur per vias Mempheos super currum Pharaonis, & postquam diem traduxerat pecus agendo, per noctis silentium discebat populis imperitandi, regendique provincias rationem. Sed fatendum est, adorabilem S. Joseph, cujus sollemnitatem celebramus, felicius, ac jucundius somnium habuisse: quam ille, cum dormienti apparuit Angelus, & docuit, ipsum simul esse & Virginis, matrique simul conjugem, & Patrem Hominis Dei: *Ecce Angelus Dei apparuit in somnis ei dicens: Joseph Fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim ex ea natum est, de Spiritu S. est*. (*Matth.* 1.) Hoc erat vere illi dicere futurum ut Sol, Luna, ac Stellæ illum colerent, hoc erat illi simul terram, cælumque; erat illi solium attollere super caput omnium Sanctorum, omniumque Beatorum Spirituum, & quodammodo ad ipsius Dei Majestatem propius elevare: nam non ut alter ille Joseph in mystico somno hoc didicit, quod aliquando erat eventurum, sed quod erat reipsa; non erat solum felix, ut ille in conceptu, ac spe, sed vere, ac reipsa; itaque erat æquissimum, ut veritati cederet figura, lex naturæ legi gratiæ, Synagoga Ecclesiæ, filius Jacob, & Rachel conjugi Mariæ, ac patri Jesu.

Æternus Pater cum S. Joseph partitus est auctoritatem, quam habebat in Verbum incarnatum.

Deus, Doctor Angelicus inquit, partitur cum S. Joseph auctoritatem, quam habet super Filium suum, quemadmodum olim cum Adam eam fuerat partitus, quam super creaturas habebat. Postquam Deus creata omnia ex nihilo eduxit, reliquit Adæ potestatem illis convenientia tribuere nomina, ut illa dominum suum tenerentur agnoscere. Similiter postquam efformavit J. C. in Sanctissimæ Virginis alvo per virtutem Spiritus Sancti, partitus est suam cum S. Joseph auctoritatem, ut eidem nomen imponeret, hoc pacto doceus, quod licet nihil ad Jesu Christi Conceptionem contulerat, opus tamen erat, ut tantam illius post nativitatem gereret curam, quantam si verus esset pater, *Et vocabis nomen ejus Jesum*.

Mysterium mysticæ scalæ, quam Jacob in somnis vidit, in S. Joseph laude explicatur.

Sæpe laboratum fuit, ut detegeretur mysterium, quod in ea visione continetur, qua Jacob scalam vidit altera quidem sui parte cælum, altera vero terram attingentem, supremo cujus gradui Dominus innitebatur; hodie tamen intelligo, Rupertus Abbas ait, mysterium hoc in Sancti Joseph persona explicari. Scala hæc mystica est Jesu Christi Genealogia. Gradus omnes eam componentes sunt omnes generationes particulares, quæ in hac genealogia recensentur; & gradus novissimus, cui Dominus est innixus, est S. Joseph, Mariæ Sponsus, ex qua natus est J. C. Ille summum est caput Genealogiæ Jesu Christi, ideoque ille, cui Salvator toto vitæ suæ mortalis tempore incubuit. Quando autem Jesus Christus super S. Joseph innixus est? Nisi cum Sanctus iste vir illum inter ulnas abstulit, ut eum Herodis crudelitati subtraheret; nisi cum ille eum sua protexit umbra, eaque præstitit officia omnia, quæ tutores pupillis suis consueverunt: *Huic Dominus innixus est, utique tanquam tutori pupillus*, laudatus Abbas ait.

Fides Joseph credentis ad Angeli revelationem, Mariam conjugem suam virtute Spiritus S. concepisse, præstantior est illa Abraham qui credidit uxorem suam licet sterilem filium pariturum.

Fides Joseph credentis ad Angeli revelationem.

Ut aliquid peculiariter dicam de S. Joseph virtutibus; quamnam putatis fuisse virtutem ejus, cum sine hæsitatione credidit virginem, quam duxerat in uxorem, & quæ jam ventrem ferebat, Spiritus S. opera gravem esse, præsertim cum unam dumtaxat, eamque in somnis habuisset revelationem, quam alius quilibet minus fidelis ipso illusionem esse censuisset. Si Fides Abrahæ tantopere laudatur ab Apostolo, eo quod credidit Saram conjugem suam, quæ erat sterilis, & nonagenaria, post annum parituram; & si Sanctus ille Patriarcha per fidem meruit titulum patris Credentium, & ut Messias ab ipso nasceretur, quid nobis dicendum erit de fide S. Joseph, quæ tanto magis fidem Abrahæ superavit, quanto difficilius est credere Virginem concipere, & parere, quam hoc ipsum in sterili credere? Jure ergo posumus illi omnia encomia tribuere, quæ S. Paulus tribuit Patriarchæ illi, & dicere, fidem ejus illi imputatam fuisse ad justitiam: *reputata est ei fides ad justitiam*; (*Rom.* 4.) & non absque causa illum in Evangelio justum nuncupari; *Joseph autem cum esset justus*. (*Matth.* 1.) Possumus etiam eum appellare Patrem credentium novæ Legis, hoc est Christianorum, qui fidei ipsius vestigia secuti sunt. Quod eo magis verum est, quod cum sit Pater Salvatoris, est etiam omnium Electorum. Potest etiam merito laudari quod Deum glorificaverit, credens potius verbo, & auctoritati illius, quam humanis argumentis, omnibusque propriæ mentis luminibus, quæ prorsus oppositum illi persuadere videbantur.

Patriarchæ Joseph, quam de S. Joannes Baptista dixit esse coram Deo.

Verba, quæ ad gloriam Præcursoris J. C. dicta fuerunt: *Magnus erit coram Domino* possunt merito applicari glorioso Sanctissimæ Deiparæ sponso. Et profecto quæcumque fuerit inter S. Joannem, & Salvatorem relatio, cum hoc S. Joseph longe plures, magisque peculiares habuit. J. C. semel tantum se humiliavit coram Joanne Baptista cum ab illo baptizatus fuit; S. Joseph autem toto vitæ suæ spatio subditus fuit. Præparat quidem Joannes vias Domini, sed Joseph particeps fit Mysterii Incarnationis. Magnum hoc & ineffabile mysterium eo modo, quo in æternis Providentiæ decretis fuerat conceptum, sine S. Joseph subsidio adimpleri non poterat: itaque pars quam S. Joseph in mysterio Incarnationis obtinuit, & gloria, quam inde percepit, sunt ineffabiles.

Nebula, quæ in lege veteri Tabernaculum operiebat, figura confugit S. Joseph cum S. Virgine.

S. Joseph Matrimonium velum est sacrum, quo Incarnationis mysterium tegitur, S. Thomas ait; Mariam Matrem esse vident omnes, unus tamen Joseph scit illam virginem esse. In lege veteri opus erat, ut nubes Tabernaculum obvolveret antequam Dominus illud sua repleret gloria: *Nubes operuit Tabernaculum, & gloria Domini implevit illud*. (*Exod.* 40.) Ita Domini gloria in Mariæ sinum minime descendisset, nisi matrimonium Joseph illum protexisset. Hæc mystica nubes est, quæ tegit ante oculos hominum miracula, quæ in Incarnationis mysterio continentur.

Matrimonium Joseph cum Maria in terre terri Paradiso collatum.

Cum voluit Deus uxorem Adæ tribuere, & in Paradiso primum nobis conjugii exemplum proponere, censuit hanc illi similem esse debere: *faciamus ei adjutorium simile sibi*. (*Genes.* 2.) Congruum igitur erat, quod Deus cum sit auctor conjugii Sanctæ Virginis cum Joseph, evehere sanctum hunc virum ad præstantissimum virtutis gradum, cui par esset, ut aliquam haberet similitudinem, quantum fieri poterat cum hac adeo nobili Sponsa. *Ita dicuit*, Gerson ait, *ut Joseph tanta prærogativa polleret, quæ similitudinem, & convenientiam exprimeret talis sponsi ad talem sponsam*.

S. Joseph comparatus cum Obededo qui domui suæ excepit Arcæ fœderis.

Ecce novus Obededom, qui depositarius est eorum omnium, quæ Israel habet sanctissima, atque sacerrima. Non fugit vos, Arcam fœderis fuisse gloriam Israel, tabur armorum ejus contra Philistiim, unicumque in gravissimis calamitatibus præsidium. Quod in illa continebatur, Legis Tabulæ, manna, virga Aaronis eam simul & terribilem, & obsequio dignissimam efficiebant. Ex hac Deus sæpe edebat oracula, ac se illi præsentem constituebat per mysticam nubem, qua illa tegebatur. Fortunatus Obededom, qui illam domi suæ hospitio recipere meruit! Deus illum suis cumulavit benedictionibus: Fortunatior David eo quod illam collocavit in Templo ea cæremoniarum pompa, quæ augebat reverentiam, qua populus Israel sacrum hoc depositum venerabatur! Sed ecce Davidis abnepotem, omnibus meritis illius affulgentem, cumque & virtute, & felicitate superantem. Hic non figuram possidet, sed rem, hoc est Mariam, cujus figura Arca est. Ille assequitur quænam hæc felicitas sit, qui assequi poteat, quid sit esse Dei Matrem, simul & Virginem, Matrem omnium Fidelium, Angelorum, hominumque Regnum, Cæli, terræque Dominam, & peccatorum refugium. Qui hæc intelligere poterit privilegia, intelligere quoque poterit, quantum sit S. Joseph meritum, domi suæ possidere Matrem Dei, participem fieri donorum ejus, testem esse omnium exercitiorum pietatis illius, & una cum illa ad J. C. ædendum, instituendumque confluere.

Sanctus Joseph comparatus nebulæ quæ Tabernaculum tegebatur.

Incarnationis Mysterium absconditum esse debebat demoni, S. Ignatius ait, ideoque oportebat, ut sanctissima Virgo Sponsum haberet. *Ut partus ejus celaretur Diabolo*. Oportebat quoque, ut homines nullam conciperent de Sanctissima Virgine, & de Filii ejus nativitate suspicionem; quam ob rem, S. Thomas ait, Joseph electus fuit tanquam sacratum velum, quo tegendum erat hoc sacrum Mysterium. Omnes vident Sanctam Virginem matrem esse; sed Joseph unus ex hominibus illius novit virginitatem.

Dei Mater, atque Æterni Patris filia facta fuit in uxorem.

Olim data fuit David adolescentulo pastori, eo quod abstulerat opprobrium ex Israel, ac ultus erat Dei populum objuges injurias, quibus ab hostibus suis lacessebatur; data inquam fuit pro mercede filia Regis. Non poterat Rex illum ma-

BIBLIOTECA CENTRAL

Joseph ab adolescentia opinio Israelitarum medium David fuit filia Saul.

joribus opibus locupletare, neque illum ad altiorem honoris gradum attollere, quam illum unum, idemque efficiendo cum Filia sua, cum sibi generum adsciscens. Sed si Rex teræ tot beneficiis auxit juvenem pastorem subditum suum; quid tandem conferet Deus illi, quem voluerit magis honorare? Joseph justus loco depositi illum habet, qui ablaturus est opprobrium non populi unius, sed cunctarum gentium, hujus custos est; ita delet naturæ totius opprobrium; ita Deus ut illum remuneretur, dat illi, non filiam, sed propriam matrem in conjugem. Dici ergo potest de hoc Sancto viro, quod cum in uxorem duxerit Matrem Dei sui, hominum, & Angelorum dominam; adit quodammodo possessionem gloriosorum suæ coniugis tituloram, & non sine aliquo jure potest vocari, Rex universorum, & Pater ipsius Dei. Quæ major felicitas, quam locupletiorem mercedem poterat expectare?

Joseph cum Sancta Virgine tam, quam cum Sorore vivens potera at æquo jure eo nomine illi vocare, quod Abraham voluit vocari Saram tot annis sui conjugem fuit.

Mysticum fuit illud Abrahæ mendacium, S. Augustin. ait, cum testatus fuit Abimelecho, Saram, quam uxorem duxerat, esse sororem suam. Sed veritas est mysteriis uberrima, dicere, Mariam licet Sponsam Joseph, potius illius sororem fuisse, quam conjugem; Abraham æquivoca respondisse Principem illum fefellit, sed longe magis deceptus fuit diabolus facto S. Joseph. Habitat cum Virgine tanquam cum sorore, nullo sensu libidinis actus; quasi merus esset spiritus, & quemadmodum secundum legem Moysis cum vir sine liberis moritur, vidua nubere poterat fratri viri sui; cum S. Joseph virginitas illum quodammodo mundo mortuum effecisset: Virgo Sanctissima mera Spiritus S. operatione concipit hominem Deum, qui cum datus sit vitam Mundo, ad hanc rem illum sibi in Patrem adoptat.

Sancta Virgo tradita fuit S. Joseph vicarium Vicariorum fibi commenque huic auctoritatem ea tulit, quam ille habebat in Virginem, & dicare nomen Filii ejus.

In veteri testamento Arca fœderis sicubi erat, deposita loco, constituenda. Hoc autem accidit domi Obeddom viro, cui insignis pietas hanc promeruit gratiam, & cui hæc eadem gratia fuit fons omnium benedictionum. *Et habitavit Arca in domo Obeddom; & benedixit Dominus Obeddom.* Arca novi Testamenti, cujus vetus illa nonnisi figura fuit, videlicet incomprabilis Maria Josepho traditur. Huic illius cura committitur; hic tacere debet melorem partem consolationis ejus super terram, hic illi adhærere debet adeo arctis vinculis, ut simul unum tantummodo cor habeant, & Spiritus unum.

Spiritus S. Joseph fuit Vicarius delegit, effecisse, ut pura in luce super Apostolorum caput enitescerat radius absolutæ potestatis suæ, ut ille facilenter Ecclesiæ, quam sibi desponsaverat, præesset. Credendum quoque est, Spiritum Sanctum, ubi constituit Sanctum Joseph vicarium sibi, eam in societatem vocasse illius auctoritatis, quam ipse habebat in Sanctam Virginem, Filiumque ejus, & cum minime vellet, nec posset sibi vinginem, & dicare nomen Patris Jesu Christi, quamvis auctor esset, ac principium sacratæ ipsius humanitatis; tamen speciosum hunc titulum Sancto nostro dedisse, tanquam magnificam laboris illius mercedem, quem aggrediebatur, illius vicem gerens in exteriori regimine Salvatoris, ac Matris ejusdem. Recens ergo habet ille jus in Sanctissimam Virginem, & in Messiam, jus ita constitutum, ut sicuti S. Petrus, quatenus Jesu Christi Vicarius Ecclesiam Spensam suam appellare potest. Joseph quoque Spiritus Sancti Vicarius jure gloriatur se pro conjuge habere calorum, terrarumque Reginam: Sanctus Petrus confiserat omnes Ecclesiæ subditos tanquam suavissimos filios; S. Joseph respicit primogenitum Virginis tanquam optatissimum filium suum; quia Spiritus Sanctus eum in locum substituens suum, supplet virtute sua, quæ Jesu Christi corpus effinxit, is omnibus, quæ deesse poterant Sancti Joseph paternitati. Sanctus Augustinus hac in re plane suum explicat sensum, cum asserit Spiritum Sanctum cum dedisset Sanctum Joseph pro visibili Sponso Sanctissimæ Virgini, pro utroque Sanctam Filii Dei humanitatem finxisse, ut alter quidem Pater dignus, altera vero digna esset Mater Salvatoris. Verum est, inquit ille, Spiritum Sanctum non nisi ex Virginis substantia efformasse corpus Salvatoris: sed voluit ille, hunc Filium esse Joseph, æque ac Virginis.

S. Joseph factus est Minister familiæ Jesu aliter ac vetus Joseph factus fuerat Pharaonis Minister.

Quis ambigere potest, quominus docest Evangelium, Sanctum Joseph illum fuisse prudentem, fidelemque ministrum, cui contulit Dominus familiæ suæ procurationem? Adit ille quidem muneris sui exercitationem modo longe alio ab eo, quo Joseph ille vetus provinciæ suæ adiit administrationem. Cum enim hic esset terreni Regis Minister, indutus fuit purpura, aureoque torque; Principisque sui annulo donatus fuit. Noster vero Joseph, qui gerere debebat illius Regis insignia, cui famulabatur, non abjicit pretiosa suæ paupertatis ornamenta, cum se videt sublatum ad dignitatem primi Ministri illius, qui simul maximus est Regum omnium, & omnium mortalium pauperrimus. Neque arduum est eodem sacrarum litterarum testimonio docente, passim, & apud omnes fere gentes in more positum fuisse, ut qui hanc apud terræ Principes obtinerent auctoritatem, Patres appellarentur. Itaque Doctores, ac Patres jure suo Joseph Jesu Christi patrem vocarunt. Neque immorabor id afferens, quod S. Augustinus animadvertit, fususque probavit, Sanctam Scripturam veteris, novique Testamenti Patris nomine nuncupare eos, quorum facta imitamur. Hac de causa Ezechiel Propheta Jerosolymæ cives exprobrat, eosque ex genere Amorrhæorum, & Cethæorum esse inquit, quia horum idololatrarum populorum actiones imitabantur; & ipse Dei Filius de Pharisæis, Judæisque dixit quod ex patre diabolo erant, cum hunc imitari appetebant.

Quidam Sancti Patres putant, neminem satis gratulari posse Sanctæ Elisabeth, cui olim Regina Angelorum trium mensium spatio operam suam præstitit. Sed quanti nos facere, & quantum obsequium impendere oportet Sancto Joseph, cui ipse hujus Sanctissimæ Virginis Creator famulari dignatus est, non quidem mensibus tribus, sed annis triginta, atque ita famulari, ut neque maxime venerabilis, neque maxime amabilis inter patres aliquid ultra ab humillimo, & amantissimo filiorum omnium expectare potuerit? Tobias in terram lapsus est in extasim raptus, cum Archangelus Raphael, qui illius comes, ac dux fuerat in itinere, se illi præbuit cognoscendum. Sanctus ille adolescens in ipso mentis excessu vita etiam fortasse excessisset, si credidisset principem Seraphim de cælis descendisse, ut fieret sibi dux. Sed quomodonam gloriæ suæ pondus sustinere potuisset, ni Angelorum Creator, & Dominus ipse voluerit illum palam comitari, ejusque necessitatibus opem ferre? Victus proculdubio fuisset tanti honoris fulgore, & mortalis vita illius nequaquam tantum felicitatis pondus sustinere potuisset. Sanctus Joseph Tobiæ non cedebat humilitate, neque minorem fovebat de Salvatoris perfectionibus conceptum, quam Tobias de eminentibus Archangeli sui prærogativis. Igitur fidei consonum est, cum Sanctus Joseph sibi additare videret tanti meriti virum, millies moriturum fuisse præ amoris, gaudii, & gratitudinis imperu, nisi ipsius Dei Filius, a quo tot favoribus cumulabatur, & qui eidem famulabatur in iis etiam, quæ infinite infra ipius Majestatem erant posita, illum non sine miraculo conservasset, dum propria magnitudine sua quodammodo obruereturr.

S. Joseph fors præsegnada est sorti S. Elisabeth quæ Sanctæ Virgine domi suæ excepit, & sorti Junioris Tobiæ, qui pro itinere duce habuit Angelum Raphaelem.

Cum Deus Salomonem ad regni solium evexit, præbuit illi cor miræ magnitudinis, magno quippe opus erat corde ad Regnum satis magnum regendum. Ita Deus eligens S. Joseph in patrem Salvatoris, magnum illi cor providere debebat, vel ut melius dicam tantam illi dare debebat cordis latitudinem, ut illum amare posset veluti pater, & pater Filii Dei. Hoc autem ex eruditi cujusdam doctoris sententia, Pater Æternus præstitit, socium sibi assumens Joseph non dignitatis tantum, sed etiam paternæ dilectionis; sive in illo cor prorsus novum effingeret, sive illud quod habebat, magis tenerum faceret. Certissimum saltem est, illum purissimo, validissimoque amore, quod pater habere possit, replevisse; quod nisi præstitisset, ordinem ille a se ipso constitutum evertisset. Cum natura aliquem patrem facit, illum tanto amore succendit, ut sexcentis curis, laboribus, ac præsertim ingrati animi contumeliis nequeat extingui. Nonne similiter opus est, ut Deus volens hominem patrem esse, amorem illi injiciat eo fervidiorem, & ad agendum expeditiorem, quo Dei opera, quam creaturarum sunt præstantiora, & gratia majorem ad agendum vim habet, quam natura? Si addas, Deum electione sua hominem destinasse, non solum ut pater esset eo modo quo diximus, sed etiam ut pater esset Filii perfectissimi, atque amabilissimi, quo nullus unquam perfectior, & amabilior fingi potest; inferes profecto, interfuisse Divinæ Sapientiæ, atque bonitatis in felicissimi Patris hujus corde amoris fornacem accendere, quæ aliquo pacto par esset perfectionibus hujus adorabilis filii; & Deum plus amoris immisisse in Joseph erga Filium suum, quam quisnam pater pro suis Filiis habuerit.

Comparatio. Comparatio obedientiæ Joseph in Ægypti proficiscentis cum illa Patriarchæ Abraham eo se conferentis, ubi filium Isaac sacrificare subebatur.

Tertullianus admirabatur honorem, ac felicitatem primi illius limi, qui Dei manibus contrectatus fuit, cum nostri proto parentis corpus voluit effingere: *Limus in manu Dei satis beatur, si solummodo contractus.* Adorabiles enim manus illæ sanctificant, ac divinitatem quodammodo tribunant iis omnibus, quæ ab illis tanguntur. *Inque toties honoratur, quoties manus Dei patitur; (Tertull. libr. de resurrect. carnis)* ideoque quoties tangitur, toties recipit honoris incrementum. Quis numerando assequi potest quoties S. Joseph Dei manibus tactus fuerit? Quænam sancti hujus viri beatitudo fuit toties attrectare adorabile corpus Filii Dei, illud inter ulnas gestare, manu ducere, eique tanquam filio suo blandiri? Sed longe beatius est quod toties manu Filii Dei attactus fuerit, quia manus illæ sanctificant quidquid attingunt, sunt uberes gratiarum, benedictionum, & vitæ fontes. Ambigine potest quod unquam Jesus illum attigerit, quin simul illi recentes impressiones divinas semperque gratias copiosiores eidem contulerit?

Si terra ex qua Dei Filius hominem primus efformatus fuit beata fuit, quo magis beatior, qui gestavit Dei filii eique blandius fuit.

Veteres Patriarchæ ardentissime illum expectabant diem, quo Dei filius in fua nasceretur familia, cumque Abraham beatum hunc diem, non re quidem, sed spiritu dumtaxat vidisset suavissimo simul solidissimoque gaudio repletus est. *Abraham exultavit ut videret diem meum; vidit, & gavisus est.* S. Epiphanius spectabat Josephum ab Arimathæa tanquam beatissimum hominem eo quod in manibus suis habuerit Corpus J. C. cum de cruce depositum fuit: *Vere dicet Joseph, siquidem Margaritam illam, quæ omnem æstimationem superat secum asportavit.* Et S. Paulinus cupiebat habere labia manda satis, ut adorabilis pueri Jesu pedes posset deosculari. *Quis mihi ex cælesti carbone purget, ut calceneum Christi mercar contingere.* Sed tua felicitas Joseph longe processit. Vidisti non in spiritu, sed vere Emmanuelem hunc, hunc Deum hominem, hoc objectum, quod scopus erat omnium Prophetiarum ardentissimorumque votorum totius Sanctæ antiquitatis. In manibus tuis habuisse Salvatorem, non quidem sexcentis crudelibus vulneribus deformatum, & in umbra contumeliosæ mortis immersum, sed omnibus plenum illecebris, quas virorum omnium pulcherrimus habere potuerit. Tibi facultas fuit non pedes tantum illius deosculandi, sed etiam os divinissimum. Mihi videre videor divinum thesaurum hunc in manibus tuis, tanquam bonum, quod ad te jure pertinet. Qua caritate sese tibi dat ille? tu vero quanta perfunsus lætitia possides illum? Quis concipere posset dulcissimos obtutus, quos invicem alius in alium figebatis? quis explicare innocentium blandiriarum amabile commercium, & affequi gloriam, qua sol in manibus vestris oriens vos cumulat? Qua in re iltic immorabor? Joseph ab æterno Patre constitutus fuit, ut illius vicem gereret erga Deum Filium, hoc est, gerere debuit omnem curam educationis ejus, seu naturalis, seu moralis. Dei Filius puer factus ut inter homines viveret, quorum salutem erat operaturus, experiri voluit infirmitates puerilitæ inherentes, & ex alieno fonte educere subsidia, quæ ille sibi poterat suppeditare; hic autem fons, ubi Dei Filius factus Filius hominis hæc invenit subsidia, est S. Joseph. Quinam gloriæ cumulus Sancto huic viro!

Comparatio fugæ Joseph in Ægyptum, cum imperio, quo Abraham fuisus fuit patrum solum vertere, & longum iter suscipere.

S. Ambrosius animadvertit Deum tunc cum præcepit Abrahæ ut de loco nativitatis suæ egrederetur, ut longa suscipieret itinera; hunc etiam magnifeis cumulasse promissionibus; sed nullibi in Evangelio videmus, Deum præcipientem, ut Joseph de patria terra egrederetur in exsilium profectuus, aliquid huic fuisse pollicitum. Neque miror si nulla ipsi temporalis merces proponitur; quæcumque enim terræ bona flectere non potuisset animam adeo sublimem, qualis erat Sponsi beatissimæ Virginis. Cur tamen non promittuntur huic cælestium gratiarum affluentia], & supernaturalia dona, quæ effundit Deus in intimorum suorum corda ad eorum fortitudinem excitandam, & gratiam eorum recte factis reponendam? Inde hoc proculdubio factum est, quia S. Joseph omnibus hisce promissionibus non indigebat, quæ ut plurimum nil aliud sunt, quam infirmitatis nostræ subsidia; cumque Sanctus ille vir Dei voluntatem in terris faceret, quemadmodum ab Angelis in cælo perficitur; obediens nil quærebat aliud, quam illam voluptatem qua afficitur Deus, videns nos ad unguem ejus imperata facere. Magnus ille Sanctus de sua exiit regione, quemadmodum Abraham de sua, quin sciret, quo tenderet; Angelus enim minime significaverat illi peculiarem Ægypti locum, quo sibi consugiendum esset, neque via, qua sibi iter esset faciendum, quod non solum periculosum erat, sed ita longum per deserta horrentia, ac teterrimas solitudines, ut viatoribus non nisi duorum mensium spatio esset perficiendum. Neque præcedere jussit Deus sua exiit regione, quemadmodum Abraham de sua, quin sciret, quo tenderet; Angelus enim minime significaverat illi peculiarem Ægypti locum, quo sibi consugiendum esset, neque via, qua sibi iter esset faciendum, quod non solum periculosum erat, sed ita longum per deserta horrentia, ac teterrimas solitudines, ut viatoribus non nisi duorum mensium spatio esset perficiendum. Neque præcedere jussit Deus insignem illam columnam, quæ cum ingenti miraculo populum Israel ad terram promissam deduxit; Neque illi dedit viæ ducem Raphaelem Archangelum, quem olim comitem Tobiæ juniori adjecerat; neque voluit, illum sequi stellam similem, quæ interdiu, noctuque facem prætulerat Magis Regibus, Bethleem euntibus. Sanctus hic satis perspicax erat, ut videret sibi præcipi iter incommodis refertissimum, & ferme non ferendum, quia pro viatico solam habebant paupertatem. Facile videre est illos æque calore, & frigore, fame, ac siti laborasse, & dierum longitudinem sæpe vires eorum absumpsisse.

Comparatio. Credi potest Jesum, & Mariam illud ipsum ab Æterno Patre quæsivisse, quod olim Junior Tobias a Patre suo, ut gratiam beneficiis quæ ab Angelo Raphael acceperat repederet.

Abraham Patriarcha domo sua egressus est, ut eo se conferret, ubi unigenitum suum immolare jubebatur, ut ejus obedientiam admiraremur; verum si hujus Patriarchæ iter cum illo S. Joseph in Ægyptum properantis comparetur, fatebitur unusquisque neminem unquam fuisse S. Joseph obedientiorem. Abraham enim nihil veretur aliud, quam obitum Isaac; sed Joseph jubetur in Ægyptum deducere & adorabilem Puerum, & Conjugem suam, hoc est, quodammodo omni periculorum generi objicere, non se tantum, sed ipsum Dei Filium, sanctissimamque illius parentem, quos ille pluris vita sua faciebat. Abraham hanc habet consolationem fore ut vero Deo filius suus immoletur; sed metuit Joseph, ne ab idololatris falsis numinibus immolari videat Filium suum. Abraham unice amabat Isaac, quia filius suus erat, & spes familiæ suæ; sed Joseph diligebat Jesum toto cælo enixius, quia suus erat filius, suus Deus, spes unica domus suæ, immo etiam Angelorum, atque hominum.

Eleazar sanctificatus ut custodiat Arcam fœderis, figura est S. Joseph, qui debuit eminere Sanctus esse, ut custos esset illius quæ vera est arca Dei.

Si non communi ratione sanctificandus fuit Eleazar filius Aminadab, ut decenter cufodiret Arcam Domini, quemadmodum tradit Scriptura, facile est conjicere, quanam donorum supernaturalium copia præparandus fuit S. Joseph antequam illi novi fœderis Arca committeretur, ubi continebatur non quidem Decalogus, sed ipse Deus Auctor decalogi. Cardinalis Damiani admiratus augustam dignitatem fratris Jesu], quam recepit S. Joannes apud crucem filii Dei morientis olim exclamabat: nemo par est meritis illius, qui gloriam obtinet fratris Salvatoris; sed credo eruditum virum hunc, si tunc meminisset gratiarum, ac privilegiorum Sponsi Matris Dei aliquod verbis suis temperamentum fuisse daturum, atque judicaturum incomparabilem dignitatem Patris Æterni Verbi, plures cælestes benedictiones fuisse promeritam Sancto Joseph, quam qualitas fratris Domini S. Joanni contulerit. *Idem.*

S. Joseph beatior Abraham aliisque Patriarchis qui Messiæ videre cupierunt, & alii, qui ad illi accesserunt, vel eidem operam suam impendere voluerunt.

Cum J. C. de cruce dixit beatissimæ Virgini ostendens illi S. Joannem, *Mulier ecce filius tuus*, asserunt Doctores, Deum hunc morientem nos omnes dedisse Matri in Sancti Evangelistæ persona, qui quemlibet Christianum repræsentabat. Credo etiam cum Cælestis Nuntius Æterni Patris fussu descendit mandaturus Sancto Joseph, ut curam suscipieret Salvatoris, & Sanctissimæ ejusdem Matris, eisque deserviret in itinere, ubi fexcenta obeunda erant pericula, mentem illius fuisse mortales omnes sub Magni hujus sancti præsidio constituendi: cum enim Verbum Incarnatum in adorabili corde suo omnes homines complectatur, cumque Sanctissima sit recens Heva, quæ non duos tantum populos ut olim Rebecca utero concepit; sed ibi gerat Christianos omnes simul conjunctos veluti grana tritici eodem in cumulo; nequaquam fieri posse videtur, ut Sanctus Joseph sit Jesu Christi, & Deiparæ præsidium, quin simul omnium hominum sit. *Idem.*

Sicuti Dei Filius dans beatam Virginem in matrem S. Joanni eidem omnes Christi fideles addit: ita Deus dans Sancti Joseph præsidium Salvatori, ac Matri illius, dat illum etiam omnibus Christianis.

Pincerna Regis Pharaonis aliquandiu oblitus est Joseph, qui sapienter, & feliciter adeo somnium illus explicaverat; sed ubi illius recordatus est, cum tradidit Regi cognoscendum, ac illum ei ita commendavit, ut mox a Rege accersitus fuerit, & paullo post primus regni Minister effectus, ita ut super omnes Provincias, quæ Ægyptiorum Regi parebant, cum absoluta fere auctoritate fuerit constitutus. Hæc aptissima est figura eorum, quæ posterioribus fæculis accideruut S. Joseph patri nutritio J. C. Mundi Salvator, qui non oblivisciturr, & oblivisci nequit, non secus ac nequit fallere, aut falli, tamen primis Ecclesiæ temporibus passus est, S. Joseph nomen oblivioni quodammodo tradi, & non ea celebritate floruisse, quæ videbatur optanda. Sed damnum hoc modo reparare velle videtur Dei Providentia, adducens in lucem heroicas ejus virtutes, jubens illius privilegia palam in universo mundo publicari, invitans peculiaribus gratiis Christianos omnes, ut illi recentia fuæ veneationis monumenta tribuant. *Idem.*

S. Joseph primis Ecclesiæ temporibus oblivioni traditus fuisse videtur, quemadmodum Pincerna primum oblitus fuit veteris Joseph, sed postea utique celebrior, & honoratior evasit.

Dum actum fuit de meritis S. Joseph in cælo remunerandis, reor, Dei filium illud ipsum percontatum fuisse, quod olim Tobias junior, patri suo narrans beneficia, quæ sibi a Raphaele Archangelo fuere collata. Quid dabimus viro huic, ajebat ille, qui me ex tot periculis eripuit, qui me quocumque deduxit incolumem, & cui ipsam debeo vitam, & quidquid habeo? Nisi dederimus illi bonorum nostrorum dimidium, non credo nos satis dignam tot benefactis gratiam referre posse. Hoc Mundi Salvator, ejusque mater sanctissima Æterno Patri dixerunt: Quid dabimus viro isti, qui sudore vultus sui Unigenitum aluit tuum annos triginta, qui illum a perfecutione incolumen eruit, cui cordi fuit & Matris honor, & omnes filii necessitates? Opus est, ut pro illiis, quæ huic debemus fatisfacias. Licet omnia nostra illi communia esse vellemus, unum illud, quod accepimus, eidem referremus. Super hæc videre mihi videor illos cum Joseph suam potestatem, gloriam, & universa bona partiri, vel potius hæc omnia simul in manibus ejus collocare, ut iis ad libitum cum hominibus uti valeat. Unde inferri potest, illum hæc potissimum iis communicare, qui fidelius ejus inharent cultui, & peculiari venerantur obsequio, eousque, ut S. Theresia, aliique plures sanctitate conspicui testantur se nihil unquam a Deo petiisse propter S. Joseph merita, ut votis damnati non fuerint. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Potentia Joseph æquat Deum major quæ antiqui Joseph, Moysis, Josue, & S. Petri Apostoli.

Ægyptus olim venerata est potentiam alterius Joseph, qui universis præerat subditis Regis Pharaonis; verumtamen Rex ipse familiarissimo suo subditus non erat: Sed Ecclesia admiratur auctoritatem nostri Joseph, cui Rex Regum fe in omnibus subjecerat. Moyses quidem magna in dignitate refulsit cum dux habitus fuit totius populi Dei; Sed Joseph longe majorem nactus est dignitatem regens totius populi hujus Deum; & Spiritus S. ad Legislatoris ejus gloriam non dubitavit asserere, illum fuisse Deum Regis Ægypti, hoc in sensu fortasse asseri posset, Joseph quodammodo extitisse Salvatoris Salvatorem. Quid non dixerunt amici simul, & inimici Eliæ Prophetæ, cum magnum Prophetam hunc viderunt imperantem igni cælesti, eumque ad nutum suum illico descendentem, ut imperata faceret? Verum quid dixisseut, si cognovissent Sanctum virum, qui plures annos ei præfuit, qui de Cælo sacrum ignem attulit, quo terram universam inflammet? Josue Soli præcipiens, ut gradum sisteret, cursum ejus inhibuit; sed Joseph nequaquam semel Solem, ut ille imperator, de orbis sui ordine dejecit, sed econtra satis diuturno temporis intervallo direxit acta omnia Solis gratiæ. S. Petrus supra universam Ecclesiam sublatus fuit; sed S. Joseph habuit infra se Ecclesiæ Salvatorem. Pascere oves Salvatoris magnum est, sed longe majus Supremum ovium harum Pastorem pascere, & si Sanctus Petrus aliquoties Salvatorem fua excepit navicula, S. Joseph plures annos domi fuæ Nazareth illum recepit hospitio. *P. Verinamet in Panegyrico S. Joseph.*

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Elogium S. Joseph.

QUis putat est fidelis servus, & prudens, *quem constituit Dominus super familiam suam? Matth. 24.* Quem esse Joseph,

arbitramini hominem hunc fidelem atque prudentem, de quo loquor, qui secundum Evangelium servus est, & dominus, qui mandata expessit, & irrogat, qui in Domini amore confidit, & in cuius fidelitate Dominus ipse quiescit? Joseph est J. C. Pater, Mariæ Sponsus, alterius quidem infantiæ Tutor, alterius vero integritatis testis, atque præsidium, sanctæ divinæque hujus Familiæ caput constitutum. Licet humilis, & parvus in oculis suis, ingreditur in potentias Domini in laborum suorum mercedem. Sicut ille sese sub eo demisit, videt se super augustissima & sacerrima Mundi capita fublatum. Ad illum cælestes spiritus advolant, qui Dei ad homines ferunt imperia, ubi aliqua urget causa. Ad illum divina diriguntur oracula, cum de Matris honore, vel Filii securitate, vel de progressu agitur mysteriorum, quæ Deus paullatim detegit, atque in pondere, & mensura dispensat. Hic vigilat custos Tabernaculi Dei Israel, transfert Arcam novi Testamenti prout opus est, & habet loco depositi pretium humanæ salutis, ac redemptionis. Hic curis, laboribusque suis alit hanc familiam virginem simul, atque fecundam, quæ Ecclesiæ imago, & origo est, quæ tot spirituales filios est paritura; non quidem secundum naturæ principia, sed per operationes gratiæ, & hoc Dei regnum formare, quod non alios habet fines, quam cælum, neque aliam durationem, quam æternitatem. *Flechier.*

S. Joseph Tutor Filii Dei quomodo hoc perfungatur munere.

Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adjutor. Psal. 10. Animo concipere oportet Salvatorem inter ulnas S. Joseph tanquam pauperem pupillum. Verum est, non deesse illi in Cælo Patrem, ubi videtur oblitus fuisse illius, eumque derelinquisse inter naturæ necessitates, elementorum injurias, & hominum impotentiam. Miser est pupillus, cui nullum solatium, nulla consolatio præter quam in virgunculæ, quæ ipsius mater est, indigens ipsa etiam solatio & consolatione. Quid tunc Deus? substituit Joseph in locum suum, ut sit illius Pater, ac Tutor: *Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adjutor.* Non quod Salvator indigueret externo tutore, ut regeretur: nam quatenus Deus infinitam habebat sapientiam, quæ omnia regit; & quatenus homo omnes possidebat scientias, & lumina, quibus spiritus potest repleri, earumque etiam usum habuit, ex quo puer esse cœpit. Verum cum ille sub pueri figura omnia lumina sua celasset, in præstantissima officiorum suorum cognitione sequebatur ordinem naturæ, quæ in pueris sensim, ac sine sensu rationem evolvit; ipse ultro se se subjicit regimini Joseph, eumque sibi Tutorem assumit. Pater Æternus J. C. objicit omnibus ærumnis paupertatis, Joseph autem omnem impendit industriam suam, & parvum illud bonum quod habet ut ex illis Jesum eripiat. Pater Æternus Jesum Christum ab ipsa nativitate tradit inclementiæ anni, temporum, & elementorum; Joseph autem quantum in ipso est ab illorum sævitia protegit, tenet illum domi suæ, eique comparat indumenta: Pater æternus patitur, quod fame, sitique laboret filius suus, Joseph autem labore utitur suo, ut illi in necessitatibus subveniat. Quis crederet? Homo sudoribus frontis suæ adquirit unde Deum suum vestiat, & alat. *Biroat in S. Joseph Panegyrico.*

Similitudo quæ esse debuit inter Joseph, & Mariam ut eorum conjugium sanctissimum effet, & perfectissimum.

Faciamus ei adjutorium simile sibi. Genes. 1. Postquam Deus primum creavit hominem, videns bonum nequaquam futurum si solus permaneret, nullam in terris creaturam invenit, quæ similis esset Adæ, & cogitans ea omnia, quæ a se fuerant producta inepta esse, ut cum illo societatem iniret, ex offibus eduxit mulierem, quæ illius esset adjutrix, & socia. Ita in Incarnationis mysterio, Pater Æternus videns Sanctissimæ Virginis integritatem esse debere ab omni suspicione vacuam, ex hominibus virum elegit incomparabili hac Virgine dignum. Hic autem fuit Joseph qui Justitiam, atque sanctitatem habebat quodammodo Mariæ sanctitati parem; animæ magnitudinem & caritatem, caritati ejus conformem; non enim vos fugit in conjugii similitudinem morum, conditionis, studiorum, atque votorum in utraque parte requiri; opus est, ut vulgo dicitur ut alter pro altero invicem facti sint, atque inde judicium ferte de meritis, ac magnitudine S. Joseph: nam postquam aliquo modo effis dimensi abyssum gratiarum Mariæ, divinæque illius maternitatis præstantiam, audacter arguite, si huic jungendus vir est, hic perfectus esse debet ut ilia, gratiis repletus ut illa, atque ut illa cælestibus donis, atque favoribus cumulatus, quia in conjugiis requiritur similitudo: *Faciamus ei adjutorium simile sibi*: demus huic Virgini sponsum, fed illi sit similis, & aliqua inter eos paritatis ratio intercedat. Scite Sancti Patres animadvertunt, Deum nequaquam alienigenam quæsivisse mulierem quam Adæ jungeret; sed partem ex ipso Adam assumpsisse, quam a toto suo separavit, ut iterum sacro matrimonii nodo eidem conjungeret. *Non alienigenam Deus assumpsit, sed partem ex toto sejunxit, ut rursum conseciaret*; adeo perfectam esse voluit æqualitatem, ut affectionum omnium vinculum esset. Cum autem Joseph, & Mariæ conjugium sit exemplar omnium Sanctorum conjungiorum, & factum fuerit peculiari Dei jussu, inferendum est, nullam ipsi conditionem defuisse, & si in terris quisquam fuisset sanctior, dubitandum non est quominus illum elegisset Deus sponsum sanctissimæ, atque perfectissimæ omnium creaturarum. Audacter ergo argumentemur, Maria sanctissima est, atque perfectissima inter mulieres; Joseph sanctissimus, atque perfectissimus est inter viros; Maria Deo est jucundissima, meritis præstantissima, & in oculis divinæ Majestatis maximè spectabilis. Igitur Joseph post illam Deo acceptissimus est, maximus, & perfectissimus. Quærite in universo terrarum orbe hominem præ ceteris virtute præditum, & justum, & dicite; qui Mariæ sponsus futurus est, huic nulla in re concedat oportet; quoniam illi similis esse debet, ut perfectam jungat societatem, perfectamque cum ea foveat amicitiam.

Mulier bona dabitur viro pro factis bonis, Eccli. 28. Quamvis tu nihil debeas, Domine, sanctissimo cuique, quia quidquid boni est, fluit a te, dixisti tamen te daturum viro justo conjugem bonam, ac virtutibus ornatam in præmium bonorum operum illius; ita ad remunerandas virtutes Joseph mortalium omnium æquissimi, illi mulierum omnium optimam, sanctissimamque dedisti, Huic uni Obededon per te licuit domi suæ habere novi fœderis Arcam; huic uni viro, quem ipse quæsivisti fecundum cor tuum jus concessisti cum illa versandi, cum illa permanendi, cum illa laborandi, ac iisdem familiæ negotiis consulendi, Angelus tuus unum dumtaxat illi verbum dixerat, cumque illam conturbatam præter modum esset intuitus, recesserat. Sed Joseph felicior omnem habet licentiam cum eadem solus cum sola loquendi; semper simul permanendi, suavia, sanctaque colloquia miscendi, quæ quin aliquem in anima tumultum cieant, illam ædificant, & consolantur.

Joseph pro uxore habuit sancti Virginem; tanquam bonarum operum suorum præmium.

Joseph, cum esset justus, Matth. 1. Poteratne Evangelista S. Joseph aliam affingere qualitatem, quæ propius illum deceret, quam illum justum appellando? & deinceps poteratne melius hanc explicare justitiam quam per submissionem, atque obedientiam, qua Sanctus ille in præcipuis vitæ suæ actionibus a Dei nutu pependit? Nihil ex se eligit, sed semet subjicit omnibus electionibus, quæ de se a Deo fiunt, licet delicatæ, difficilesque incidant occasiones. Ad primum Angeli jussum consurgit; quin obedientiam suam nectendo moras imminuat, festinat; neque ea objicit pericula, ac labores, quos non defutoros præsnofcit. Imperium sibi illatum ad examen non revocat; dicere satis est, Deus jubet; quibus verbis humili obsequio, celerique respondet executione. Non caussas quærit, non fines, non eventus, & nunquam vel imprudens curiositas, vel inanis follicitudo cordis sui simplicitatem, animæque tranquillitatem perturbat. Non jactat coram hominibus mandata, quæ recipit, secretum suum in se retinet, nihilque habere vult præter fidei meritum, & gloriam obedientiæ: Ita nulli sese immiscet negotio, nisi id divinitus facere jubeatur. Non homines respicit, nec humana subsidia, ut ex iis se expediat difficultatibus, quibus premitur. Pro qualibet illius actione, quam compertam habemus, opus fuit revelatione, vocatione, particulari missione. Ecce quinam sit character, & virtus S. Joseph.

Verus S. Joseph character in Biblis exhibetur, cum justus vocatur.

Erat in Deum dives. Luc. 12. De S. Joseph haud hæsitanter dici poteft, divitem fuisse in Deum, ut loquitur Evangelium, quandoquidem Deus erat tota illius possessio; sed ditior erat, quod unum illum possidebat. Differunt enim divitem esse bonorum terræ, & bonorum cæli in hoc, quod ut primis illis dives sias, multa oporteat possidere, alia aliis agglomerare, cujuslibet generis bona possidere, agros, domos, redditus, supellectilem, aurum, & argentum. Sed ut de Deo locuples sias, unum illum debeas possidere; nam aliquid aliud cum illo possidere, est minus esse locupletem, quam si unice illum possideas. Ecce beatam sortem, egregiamque S. Joseph fortunam: *Erat in Deum dives*. Unum possidet Deum, de uno illo follicitus est, pro illo unice laborat, nihil nisi propter illum habet, veluti unice destinatus ad subveniendum illi, ubi quid defecisset.

Quid S. Joseph pauperrimum esse cerit omnis locupletissimum. Hoc nemo quod possidebat Deum suum, & unum illum possidebat.

Qui custos est Dominus sui glorificabitur. Prov. cap. 27. Hæc Spiritus Sancti verba Sapientis ore prolata nos cogunt, ut mirifice Sanctum Joseph laudibus extollamus, cui unice convenit titulus iste custodis Domini sui, præcipue vero cum electus fuerat, ut esset pater nutritius, tutor, & dux puerilitiæ Salvatoris Mundi; & dici poteft J. C. Josepho traditum fuisse, ut aleretur, & educaretur. Fateor equidem Spiritum Sanctum nescio quem horrorem sanctum concipere, ut cogitat infinitam Dei Sapientiam sese humanæ ignorantiæ subjecisse, Filium unigenitum Æterni Patris, in quo omnes scientiæ, atque sapientiæ thesauri continentur, subditum esse voluisse homini simplici, & quamvis perfecte universam divinam scientiam possideret, quatenus Verbum Patris, & beatificam, quatenus Beatorum princeps, & infusam, quatenus Caput Ecclesiæ fuæ, nihilominus cum voluerit omnibus puerilitiæ infirmitatibus subjicere, ultro sese redegerit, puerorum instar, ad loquendum, ambulandum, ad quodlibet ex nomine appellandum, ad paullatim efformanda judicia, perinde ac rudis omnino ignorasset omnia, ut ceteris cognitionibus suis experimentalem etiam scientiam adjiceret. Mirum profecto videtur, quod ad hoc ut hanc scientiam edisceret, non Angelus, vel aliquis insignis Doctor fuerit electus, sed in Sancti Joseph tutela positus fuerit, cui uni præstantissimum id munus reservabatur. *Molinier sermone de S. Joseph.*

S. Joseph fuit custos Jesu & quia gloriosus illi sic hic ritus.

Unigenitus qui est in sinu Patris. Joann. 1. Cum Scriptura verba facit de unigenito, qui est in sinu Patris, de quonam Patre loquitur? Numquid de Patre Æterno? Ita sane. Nam ante omnia sæcula in divino Patris sinu, tanquam in æternarum deliciarum centro quievit. Verum nonne etiam de temporali ejus Patre dici poteft, S. Joseph? De hoc etiam id poteft intelligi. Quoties enim in illius sinu quievit tanquam in suarum

Claudicans & felicitas S. Joseph qui possessit Dei Filium, cum suo pectore admovit &c.

suarum temporalium deliciarum sinu? Quænam fuit Patris hujus lætitia Deum possidere in ejus pueritia, illum suis ulnis circumferre, sibi pectori admovere, amplecti, deosculari, ejusque curam gerere, perinde ac illius esset Custos Angelus? Fluxi quidam jactantur nonores a Sanctissima Virgine Sanctis aliquibus concessi, quæ earum manibus Jesum in infantiæ statu commisit. Sed quodnam intercedit discrimen? Illi eum ad brevia tantum momenta possidebant: Joseph illum quotidie possidet, inter ulnas suas gestat, ubi vult, idque plurium annorum spatio. Quoties ille præ gaudio raptus fuit, ac sui impos effectus inter eas delicias, quæ illum circumfluebant, hinc quidem ob Patrem Æternum, cujus erat Vicarius, ob Sanctissimam Virginem, cujus vir erat, & ob Jesum, cujus erat nutritius? Quid, dicebat ille intra se, me, Domine, elegisti, ut manuum mearum labore alerem Creatorem universorum, & illum, a quo creata omnia nutriuntur? Adorabile verbum, ego faber egenus sum, & vis me curam suscipere vitæ, victusque sui, sibique panem ministrem, qui das escam omnibus esurientibus? Quoties illam mensæ accumbere faciens illa iteravit verba, quæ pater Æternus eidem dixit in gloria; *sede a dextris meis?* Cum hæc auditis verba, quemnam loqui putatis? Numquid Pater Æternus, an Joseph? uterque; Patris vicarius, non secus ac Pater ipse loquitur. Quodnam hoc fuit admirationis spectaculum Angelis, videre illum quem adorant in gloria, cum Patre, & Spiritu S. regnantem, terrenæ accumbere mensæ inter pauperem opificem, & illius conjugem!

Quem ipse conceptum fovere dignatus de meritis S. Joseph ex eo quod in Scripturis Justus appellatur.

Joseph vir ejus erat justus. Matth. 1. Dicite, quantum vobis libuerit, S. Joseph peculiari vocatione ad præstantissimum, quod fuerit unquam Ministerium electum fuisse; in se ipso ea omnia collegisse, quæ nonnisi per partes aliis concessa fuerunt; habuisse lumen Prophetarum, ut secretum Incarnationis Filii Dei cognosceret; sollicitas patriarcharum curas, ut Hominem Deum aleret, & educaret: Virginum paritatem, ut cum Virgine Deipara commoraretur: Apostolorum fidem, ut per exteriores hominis humiliationes latentia Dei magnalia perspiceret; zelum Confessorum, & Martyrum fortitudinem, ut cum vitæ suæ periculo tueretur vitam Filii Dei. Hæc omnia, si lubet, dicite, ego vero unicum illud reddam verbum: *Joseph vir ejus erat justus*. Ne miremini. Joseph vir erat justus. Justitia adeo illustrata, prudens, discreta, humilis, amabilis, constans, fidelis, adeoque perfecta in eo quærebatur, ut digne omne pondus adeo gloriosi Ministerii sustineret.

Similitudo morum, virtutum Prærogativarum inter S. Joseph & S. Virginem.

Faciamus illi adjutorium simile sibi. Genes. 1. Dedit Deus Adæ auxilium, subsidium simile eidem, quo nomine Scriptura vocat sociam, quæ secum omnes vitæ curas partiretur. Hæc erat figura Mariæ, & Joseph. Volebat Deus, quemadmodum S. Ignatius Martyr testatur, abscondere Dæmoni Mysterium Incarnationis Filii sui, & honori Sanctissimæ Virginis consulere, quæ quidem infamis fuisset habita, si Mater fuisset cum sola esset. *Fecit Mariæ adjutorium simile sibi*; S. Bernardinus ait. Dare illi voluit Sponsum ejus meritis dignum, qui eidem similis esset, atque ut illa Deo suam vovisset Virginitatem. Hic beatissimus fuit, & Sanctissimus; qui ex S. Bernardi sententia, hoc honore dignus habitus est, ut esset consilii Dei Minister fidelis, illius Coadjutor in terris, & socius Sanctissimæ Virginis in regimine Incarnati Verbi cum omni potestate, quam habere potest pater in filium. Hinc jure duo Sancti viri isti argumentantur procul dubio credendum, Spiritu S. qui eorum conjugii erat auctor, non minorem habuisse zelum Sanctissimæ Virgini tribuendo virum meritis illius parem, quam aliquis ex mortalibus habuisset. Opus erat, ut relatio Joseph ad Mariam eam omnem haberet convenientiam, quæ in connubiis optari potest. Si enim S. Augustinus arbitratur fe paucis pronuntiasse totum Sanctæ Virginis elogium, cum in illius honorem ait: *Si fonmam Dei te appellem, digna existis*. Beata Dei mater, cum te Divinitatis imaginem voco, in qua adorabilium perfectionum ejus lineamenta renident; hoc elogio digna es; dici quoque potest, si Maria erat imago Dei, Joseph speculum fuisse, quod ad vivum Mariam referebat, ita ut incomparabilem hanc Virginem intuendo, judicium ferri possit de perfectionibus Joseph, ac videndo Joseph, dignissimus fiat conceptus perfectionum Sanctissimæ Virginis. Maria erat naturæ miraculum, eximium opus gratiæ, honor sæculorum, Dei Magnificentia. Electa erat, ut esset Mater Filii sui, Sponsa, ac Templum Spiritus Sancti: asseri igitur potest, Sponsum quoque illius meritis esse singularem, & inter homines incomparabilem, ut illam amaret, quemadmodum ipsa eum singulariter inter Sanctos amavit.

Plena cognitio, quæ S. Joseph habuit de Filio Dei.

Nemo novit Filium, nisi Pater. Matth. 11. Legimus in Evangelio, neminem cognoscere Jesum nisi Patrem. Equidem scio Salvatorem hoc in loco de Patre Æterno verba facere; sed non me latet complures Eruditos Interpretes docuisse, nullum legis Doctorem, nullum Prophetam, nullum Patriarcham distinctius cognovisse Verbum carnem factum, quam S. Joseph. Cum ergo certum sit illum penetrasse, quidquid maxime impenetrabile est in perfectionibus Jesu: credibile quoque est, amasse hunc tanto amore quantum percipere ipsi non possumus. S. Joseph acta veritatem hanc probant solidius, quam omnia efficere possint argumenta. Spiritus S. hac in re eximium protulit verbum in libro Proverbiorum: *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?* Videlicet, fierine potest, ut aliquis magno aliquem prosequatur amore; quin amor ipse se prodat, atque extrinsecus aliqua præbeat indicia? Ita veri Salvatoris amici nequaquam latis esse arbitrati sunt flammam hanc extrinsecus debilem fulgorem effundere, verum omnia pro Salvatore fecerunt, multa passi sunt, ut eidem placerent, ac semper conati sunt, ut arctissime illi adhærerent. Hos eosdem effectus in corde Joseph peperit ardor ille, quo conficiebatur.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac Sententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

Habet Joseph cum Maria conjuge communem Virginitatem. S. August. serm. 15. di diverf.

Locupletior testis pudoris Mariæ maritus adhibeatur, qui possset, & delere injuriam, & vindicare opprobrium, si non agnosceret Sacramentum. S. Ambros. l. 2. id in cap. 2. Luc.

Honoravit eum Deus patris vocabulo. Origenes Hom. 17. in cap. 2. Luc.

Tanto sanctius, & verius, quod solo caritatis vinculo fundatum est. Hugo a S. Victore.

Nomine patris neque Angelus, neque Sanctus in cælo, brevilicet spatio, meruit appellari, hoc unus Joseph potuit nuncupari. S. Basilius.

Ecclesiæ fides in eo est, ut non modo Deipara, sed etiam putativus Pater, atque nutritius, virgo habeatur. Petrus Damiani Epistol. 2. ad Nicol. Papam.

Virum Mariæ. Hoc est prorsus ineffabile, & nihil præterea dici potest. Joann. Damasc. de Nativit. Virgin.

Spiritus S. de carne Virginis hominem formans, paternum vivo huic, scilicet Joseph, qui nuncupabatur, infundit amorem infudit. Rupertus Abbas.

Ad omnes labores, quos Deus ferre non poterat, Josephum pignorat. Idem.

Credo Joseph mundissimum fuisse in Virginitate, profundissimum in humilitate, ardentissimum in caritate, altissimum in contemplatione, & esse adjutorium simile sibi. S. Bernardus.

Quia omnia, quæ sunt uxoris, sunt etiam viri, credo, quod beatissima Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Joseph recipere poterat, illi liberalissime exhibeat. S. Bernardinus Senensis Sermon. de Josepho.

Maluit Dominus de ortu sua, quam de Matris pudore dubitari: ideo datus illi est Sponsus. S. Ambros. in cap. 2. Lucæ.

Erat subditus illis. Quæ subjectio, sicut inæstimabiliter notat humilitatem in Christo, sta dignitatem incomparabilem signat in Josepho, & in Maria. Gerson serm. de Nativit. Virginis.

Quid sublimius, quam imperare ei, qui in femore habet scriptum, Rex Regum, & Dominus dominantium? Idem.

Maria gratiam Josepho, vultu, voce, vita, & continua conversatione per tot annos afflavit. Idem.

Joseph Pater vocatur, non quod genuerit, sed quod educavit. S. Hier.

Quanta fiducia Josephi, quanta vis in eo impetrandi? quia dum vir uxorem, dum Pater filium orat, velut imperium reputatur. Joann. Gerson.

Decuit, ut tanta prærogativa Joseph polleret, quæ similitudinem, & conscientiam exprimeret talis sponsi ad talem Sponsam, de qua natus est. Idem,

O conjugium cæleste, non terrenum, quia conjugium, sive conjunctio tota fuit cælestis, & Spiritus S. conjugalis amor. Rupertus in cap. 2. Matth.

Conjice ex hac appellatione, quæ meruit honorari a Deo, ut Pater Dei, & justus, & creditus sit, qui, & qualis homo fuerit ille Joseph. S. Bernard. serm. 2. super Missus est.

Cum virgo tot, & tanta impetraret peccatoribus, quanta putas impetravit charismata animæ Josephi Sponsi? S. Bernardin. Sen. serm. 3. de S. Josepho.

Christi familiæ fidissimus procurator. Albertus Magnus in cap. 2. Lucæ.

Fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus suæ matris solatium, & solum in terris magni consilii coadjutorem fidelissimum. S. Bernard. homil. 2. super Missus est.

Joseph pater Domini meruit appellari. S. Hieronym. contra Helvidium.

Joseph pater Jesu non carne, sed caritate firmatur. S. Augustin. serm. 63. de diversis.

Dedit ei Deus effectum, sollicitudinem, & auctoritatem Patris. Joann. Damasc.

Ad famam Mariæ conservandam Pater Jesu ab omnibus est æstimatus. S. Hieron. contra Helvidium.

Non est in cælestibus agminibus, qui Dominum Jesum audeat filium nominare. S. Cyprian. vel alius Auctor lib. de Bapt. Christi.

Non solum debuit esse Joseph Pater Christi, sed maxime debuit. S. August. serm. 63. de diversis.

Joseph filius David non solum carnis propagine, sed fidei, ac virtutum imitatione. S. Bernard. in vigil. Nativit.

Josephum Parentis honore coluit Christus; omnibus fidelis exemplum præbens, ut subjiciantur parentibus. Origenes homil. 2. in Luc.

Nemo ambigat Dominum Jesum, cum adhuc in puerili esset ætate, obsequio præstitisse ipsique Josepho. S. Laurentius Justinianus lib. de obedientia cap. 8.

Magis credebat Josephus castitati Virginis, quam utero ejus, & plus gratiæ, quam naturæ in possibilius esse credebat mulierem sine

BIBLIOTECA CENTRAL BANT